



Dette værk er downloadet fra **Danskernes Historie Online**

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennytte forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

NARRATIO

de

P. Clodio Pulchro.

Scripsit

Carolus Guil. Elberling, A. M.



Indbydelsesskrift

til

den offentlige Gramen i Slagelse lærde Skole
i September 1839.



Kjøbenhavn.

Tryft hos Bianco Lunø.

CH

NARRATIO

DE

P. CLODIO PULCHRO.

SCRIPSIT

CAROLUS GUIL. ELBERLING,

MAG. ARTIUM.



HAUNIAE.

TYPIS EXPRESSIT BIANCO LUNO.

MDCCXXXIX.

NARRATIO

DE

P. CLODIO PULCHRO.

Quamquam in historiae cognitione utilissimum est cum iis viris versari, qui bono ingenio magnisque virtutibus praediti patriae civibusque suis profuerunt, tamen ne ii quidem negligendi sunt, qui ingenii bonitatem pravitate morum ita obscurarunt, ut inter proditores et eversores patriae merito referrentur. Nam ut ex illis documenta capere poteris, quid faciendum sit, sic ex his, quid vietandum.

P. CLODIUS¹⁾, de quo colligere institui quidquid apud veteres scriptores dictum est, fuit *homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum, malorum propositorum executor acer-rimus*²⁾). Filius fuit Appii Claudii Pulchri, qui a. u. 675 = 79 a. Chr. cum P. Servilio Vatia Isaurico consul erat³⁾). Quo anno natus sit, non constat; sed si ex iis annis, quibus magistratus gessit, coniectura capienda est, natus est circa ann. u. c. 662 = 92 a. Chr. De pueritia eius nihil novimus; nam vix digna sunt commemoratione, quae in oratione quadam, quae Ciceronis nomen mentitur, his ver-

¹⁾ De scriptura huius nominis vid. BEIER, ad Cic. Oratt. Fragm. p. 85.

²⁾ VELL. PAT. II, 45, 1.

³⁾ CIC. Att. I, 12, 3; efr. BEIER l. c. pag. 109, 111. et Stemma familiae Claudiae ibid. ad pag. 228.

bis leguntur: *post patris mortem primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit*¹⁾). Cetera vero, quae de eo inveni, ad annos suos relata adferam.

A. u. 687 = 67 a. Chr. C. CALPURNIO PISONE, M^r. ACILIO GLABRIONE COSS. cum L. Lucullo, sororis marito, in Asia militavit; sed quum non eam auctoritatem haberet, qua se dignum censeret, exercitum eius ad defctionem sollicitavit. Eo factum est, ut imperatorem milites sequi nollent²⁾). Deinde vero Lucullum ipse reliquit et a Q. Marcio Rege (cos. a. 686 = 68 cum L. Caecilio Metello), qui aliam ex sororibus eius in matrimonio habebat, classi praefectus est. Quum autem à piratis captus esset, ad Ptolémaeum régem Cypri misit, qui pecuniam, qua se redimeret, ab eo postularent. Misit hic duo talenta, quae summa tam exigua visā est, ut eam accipere praedones puderet; itaque pecunia regi remissa Clodium sine pretio dimiserunt, quum etiam Pompeium timerent³⁾). Inde Antiochiam, Syriae urbēm, se contulit seque contra Arabes, quibuscum tum inimicitiae Syris erant, cum iis militaturum esse simulavit; sed quum etiam ibi seditiones moveret, paene interfectus est⁴⁾.

Deinde Romam revertisse videtur, ubi a. u. 689 = 65 L. AURELIO COTTA, L. MANLIO TORQUATO COSS. L. Ser-

¹⁾ Orat. de Harusp. Resp. 20, 42; cfr. CIC. fragm. de Aere alieno Milon. IV, 3.

²⁾ PLUTARCH. Lucull. 34; DIO CASS. XXXV, 14; Harusp. Resp. 20, 42 coll. 27, 58.

³⁾ DIO CASS. XXXV, 17; XXXVIII, 30; STRABON. XIV p. 684; APPIAN. Bell. Civ. II, 23; CIC. fragm. de Aere alieno Milon. IV, 4; Harusp. Resp. 20, 42.

⁴⁾ DIO CASS. XXXV, 17.

gium Catilinam, qui ex praetura Africam obtinuerat, repetundarum accusavit; sed corruptis iudicibus et praevariante Cludio Catilina absolutus est¹). Haec caussa anno demum 690 = 64 L. IULIO CAESARE, C. MARCIO FIGULO Coss. ad finem perducta est²), eodemque anno Clodius cum L. Licinio Murena, qui post praeturam Galliam administrabat³), in eam provinciam se contulisse dicitur⁴).

Ann. 691 = 63 M. TULLIO CICERONE, C. ANTONIO Coss., quo anno nefarii Catilinae conatus repressi sunt, Clodium Ciceronis studiosissimum corporisque custodem fuisse Plutarchus tradit⁵); sed alia omnia apud Asconium legimus: *Saepe obiecit Clodio Cicero socium eum coniurationis Catilinae fuisse, quam rem nunc quoque reticens ostendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in castra Manlii centurionis, qui tum in Etruria ad Faesulas exercitum ei comparabat, Clodium subsequi eum voluisse et coepisse, tum dein mutato consilio in urbem redisse*⁶). Uter horum scriptorum veriora tradiderit, non facile diiudicari posse puto; nam quamquam Manutio assentior locum illum Ciceronis, ad quem sua Asconius adscripsit, non recte ab eo ad Catilinae tempora relatum esse, tamen inde non sequi-

¹) ASCON. ad Cie. Orat. in Toga Cand. p. 85—87, 89 sq., 93 ed. Orell.; Id. ad Cie. Cornel. p. 66; CIC. Cael. 4, 10; Pison. 10, 23 ibique Ascon.; Q. CIC. Pet. Consul. 3, 10; SALLUST. Catil. 18, 3; Harusp. Resp. 20, 42.

²) CIC. Attic. I, 1, 1; I, 2, 1.

³) CIC. Muren. 20, 42; 41, 89.

⁴) Harusp. Resp. 20, 42.

⁵) PLUTARCH. Cicer. 29.

⁶) ASCON. ad Cie. Milon. 21, 55. Ciceronis verba haec sunt de Clodio: *comites Graeculi, quounque ibat, etiam quum in castra Etrusca properabat.*

tur falsa esse quae tradidit. Cicero quidem hanc maculam Clodio adspergere non noluisse videtur, quum dicit: *quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquevit?*¹⁾). Nam quod Clodium *Catilinae ultorem* appellat²⁾), alio pertinet, de quo postea dicendum est (ad a. 696 = 58). Sed quum Cicero non aperte dicat Clodium Catilinae socium fuisse, quamquam in Miloniana locus huic coniurationi commemorandae aptus non deerat, aliquid secutum esse Plutarchum credo. Itaque hanc rem in incerto relinquam.

Ann. 692 = 62 D. IUNIO SILANO, L. LICINIO MURENA COSS., quum Clodius quaestor designatus esset³⁾), pollutis Bonae Deae sacris summam sibi infamiam contraxit. Quoniam vero haec res ab antiquis scriptoribus saepissime commemoratur⁴⁾), digna visa est, in quam accuratius inquireremus.

Bona Dea quaenam esset, ne apud Romanos quidem constabat. Cornelius Labeo auctor fuit Maiac aedem Kalendis Maiis dedicatam fuisse sub nomine Bonae Deae, et eandem esse Bonam Deam et Terram ex ipso ritu occul-

1) CIC. Milon. 14, 37. Cfr. Paradox. IV, 1, 27: *Praedonum ille concursus et te duce latrocinium in foro constitutum et reliquiae coniurationis a Catilinae furis ad tuum seclus furoremque conversae, non civitas erat.*

2) CIC. Pison. 10, 23 coll. 5, 11; 7, 16.

3) ASCON. ad Cic. Milon. 33, 88.

4) Praeter eos locos, quos infra addaturus sum, vid. CIC. Plancian. 35, 86; Sest. 54, 116; Pison. 39, 95; de Aer. Alien. Milon. III, 2; Milon. 32, 87; Paradox. IV, 2, 32; Fam. I, 9, 15; Orat. pro Domo 29, 77; 40, 105; Harusp. Resp. 3, 4; 5, 8, 9; 17, 36 sqq.; 21, 44; 27, 57; LIVI Epit. CIII; VELL. PATERC. II, 45, 1; VALER. MAX. VIII, 5, 5; IX, 1, 7; SENEC. Epist. XCVII; IUVENAL. VI, 335 sqq.; APPIAN. B. Civ. II, 14; Hist. Rom. V fragm. VII (I p. 60 ed. ster.); DIO CASS. XXXVII, 45, 46.

tiore sacrorum doceri posse confirmavit, eandemque Bonam Deam Faunamque et Opem et Fatuam pontificum libris indigitari. Fuerunt qui dicerent hanc deam potentiam habere Iunonis ideoque sceptrum regale in sinistra manu ei additum; eandem alii Proserpinam crediderunt, alii Semelam, alii Medeam. Apud Graecos dicta est ἡ θεὸς γυναικεία, quam Varro Fauni filiam esse tradidit, adeo pudicam, ut extra γυναικωνῖτιν numquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum umquam viderit nec a viro visa sit; unde factum, ut nec vir templum eius ingrederetur¹⁾. Templum Romae habebat in monte Aventino in tertia decima Urbis regione, a Claudia quadam dedicatum, postea a Livia Augusti uxore restitutum²⁾; praeterea in duodecima Urbis regione erant *Aedes Bonae Deae Subsaxanae* in radicibus Aventini montis³⁾). Denique sacrarium eius in fundo T. Sestii Galli inter Ariciam et Bovillas⁴⁾ commemoratur⁵⁾, eandemque deam etiam aliis locis cultam fuisse legimus⁶⁾). Sacra ei siebant porca⁷⁾. Sed ab his sacris, quae publica fuisse videntur, quamvis *maribus non adeunda*⁸⁾, diversum fuit *Damum sacrificium*

¹⁾ MACROB. *Saturn.* I, 12 p. 258 sqq. ed. Bip.; cfr. LACTANT. *Institutt.* I, 22 et III, 20; PLUTARCH. *Caes.* 9; Cicer. 19; alia ap. BEIER. ad Cic. *Oratt. Fragn.* p. 74; BROUCKHUS. ad Tibull. III, 5, 8.

²⁾ OVID. *Fast.* V, 148 sqq. et ibi Intt.

³⁾ Vid. BROUCKHUS. ad Tibull. I, 7 (6), 22 p. 124 sq. coll. Orat. pro Domo 53, 136.

⁴⁾ *Bovillæ* Ciceronis actate prope desertum oppidum fuit, vid. CIC. *Plane.* 9, 23 et ibi SCHOL. BOB. p. 255 Orell.

⁵⁾ CIC *Milon.* 31, 86; coll. ASCON. *Argum. Milon.* p. 32, 19 ed. Orell.

⁶⁾ Vid. ORELLII *Inscript.* Nr. 686, 1512 sqq., 3270.

⁷⁾ MACROB. I. c. p. 259; IUVENAL. II, 86.

⁸⁾ TIBULL. I, 6, 22; cfr. OVID. A. A. III, 244, 637 sq.; PROPERT. V (IV), 9, 23 sqq.

(i. e. δημιον), quod siebat in operto in honorem Deae Bonae¹). Etenim singulis annis idque, ut videtur, Decembri mense²) in domo consulis aut praetoris ab eius uxore aut matre, quum virgines Vestales et matronae honestissimae adessent, sacrificium pro populo Romano siebat. Illo die et ipse dominus aedium et quidquid virile erat domum relinquebat³); quin picturae quoque masculorum animalium contegebantur⁴). Gravissima autem horum sacrorum pars noctu agebatur⁵), admixtusque erat his per vigiliis lusus, nec deerat fidium tibiarumque copia⁶).

Iam vero a. u. 692 = 62 haec sacra facta sunt in domo C. Iulii Caesaris P. M., qui eo anno praetor erat. Uxorem tunc Caesar habebat Pompeiam, Q. Pompeii filiam, L. Sullae neptem⁷); quam quum amaret Clodius, sed, quoniam ab Aurelia Caesaris matre diligenter custodiebatur⁸), convenire non facile posset, hanc occasionem non dimittendam ratus psaltriae habitum sumpsit⁹) et a serva

¹⁾ PAULI DIAC. Excerpt. Festi p. 52 et ibi Int. p. 398 ed. Lindem. — Additur ibidem: *Dea quoque ipsa damia et sacerdos eius damiatrix appellabatur.*

²⁾ PLUTARCH. Cic. 19, 20; CIC. Attic. I, 12, 3.

³⁾ PLUTARCH. Caes. 9; Cic. 19; Quaest. Rom. c. 20; SCHOL. BOB. Arguin. ad Cic. Orat. in Clod. et Cur. p. 329 Orell.; cfr. CIC. Att. II, 7, 3,

⁴⁾ SENECA. Epist. XCVII p. 478 ed. Amstel. 1672; IUVENAL. VI, 330 sqq.

⁵⁾ Cfr. CIC. Legg. II, 9, 21; 14, 35 sq.

⁶⁾ PLUTARCH. Caes. 9; Quaest. Rom. c. 20; cfr. IUVENAL. VI, 314 sqq. et II, 83 sqq.; HARUSP. Resp. 6, 12; 17, 37; DIO CASS. XXXVII, 45; BEIER ad Cic. Oratt. Fragm. p. 73 sq.

⁷⁾ SUETON. Caes. 6.

⁸⁾ PLUTARCH. Caes. 9,

⁹⁾ CIC. in Clod. et Curion. V et ibi Schol. Bob.

conscia in aedes introductus est. Sed quum ea praecurrisset, ut adventum eius Pompeiae nuntiaret, Clodius in ampio aedificio oberrans a serva quadam Aureliae conspectus est et, quaenam esset, interrogatus. Iam quum ille exspectari a se Abram, Pompeiae servam, dixisset, mulier audita voce virili virum a se deprehensum esse exclamat ceterasque mulieres advocat. Tum Aurelia foribus ocludi iussis cum per totam domum quaesivit, donec in cella eius servae, cum qua ingressus erat, deprehensus et a mulieribus dimissus est¹⁾.

Fama statim per Urbem divulgavit Clodium cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, quum pro populo fieret, eumque per manus servulae servatum et eductum esse²⁾). Quum vero virgines Vestales sacrificium instaurassent, mentio eius rei a Q. Cornificio in senatu facta est (mense Ianuario a. u. 693 = 61 M. PUPIO PISONE CALPURNIANO, M. VALERIO MESSALA NIGRO Coss.); postea res ex senatus consulto ad pontifices relata idque ab iis nefas esse decretum est. Deinde ex S. C. consules rogationem promulgarunt, ut de ea re non aliter quam de incestu quaereretur utque iudices a praetore legerentur, quo consilio idem praetor uteretur³⁾). Sed haec lex perlata non est⁴⁾), quum et Pise consul⁵⁾ et multi alii Clodio

¹⁾ PLUTARCH. Caes. 10; Cicer. 28; cfr. SCHOL. BOB. ad Orat. in Clod. et Cur. VI, 3 ibique Beier. p. 115 sq. et Niebuhr. ap. Orell. p. 339.

²⁾ CICER. Attic. I, 12, 3.

³⁾ CICER. Attic. I, 13, 3; 14, 1, 2; SCHOL. BOB. ad Orat. in Clod. et Cur. V, 3.

⁴⁾ Cfr. CICER. Milon. 5, 13 ibique SCHOL. BOB. p. 286; 27, 73; 32, 87; 33, 88.

⁵⁾ Cfr. CICER. Attic. I, 16, 8; in Clod. et Cur. II, 1 ibique Beier. p. 92.

faverent¹); tum Q. Hortensius excogitavit, ut Q. Fusius Calenus trib. pl., qui Clodianarum partium erat²), legem de religione ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat nisi iudicum genus³); tulit igitur, ut iudices sorte de more legerentur e decuriis iudicium. Quo facto turpissimus fuit iudicum concessus⁴). Accusavit Clodium L. Cornelius Lentulus⁵), qui postea a. u. 705 = 49 cum C. Claudio Marcello consul fuit, subscriptibentibus Cn. et L. Lentulis⁶); praeterea etiam C. Fannius in P. Clodium subscripterat⁷). Clodium defendit C. Scribonius Curio, qui consul fuerat a. u. 678 = 76⁸). Complures testes in Clodium producti sunt: Aurelia, Caesaris mater, pro testimonio dixit suo iussu eum esse dimissum; idem Iulia dixit, Caesaris soror⁹); feminae quoque, quae illi sacrificio interfuerant, de interventu virili testimonium dixerunt¹⁰). Sed

¹) CICER. Attic. I, 13, 3; 14, 5; SCHOL. BOB. Argum. Orat. in Clod. et Cur. p. 330.

²) Cfr. CICER. Philipp. VIII, 5, 16; ASCON. ad Cic. Milon. 6, 14.

³) CIC. Attic. I, 16, 2.

⁴) CIC. Attic. I, 16, 3.

⁵) Si vera est Beieri conjectura (ad Cic. Orat. in Clod. et Curion. V, 3 p. 108) L. Lentulum h. a. tribunum plebis fuisse, hoc pertinet, quod Plutarchus tradit (Caes. 10), Clodium ab uno tribunorum accusatum fuisse. Sed in loco Ciceronis (Fam. I, 9, 15), quem Beier adfert, de Milone agitur Clodium accusare volente (vid. infr. ad ann. 697 = 57).

⁶) SCHOL. BOB. l. c. V, 3; cfr. HARUSP. Resp. 17, 37; VALER. MAX. IV, 2, 5.

⁷) CIC. Att. II, 24, 3.

⁸) SCHOL. BOB. Argum. Orat. in Clod. et Cur. p. 330 et ad IV, 4 coll. CIC. Attic. I, 16, 10.

⁹) SCHOL. BOB. l. c. V, 3; SUETON. Caes. 74.

¹⁰) SCHOL. BOB. l. c. VI, 3; cfr. CICER. Milon. 27, 72.

Caesar ipse, qui statim uxori nuntium remiserat¹⁾), testis citatus negavit se quidquam comperisse; interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem, *Quoniam*, inquit, *meos tam suspicione quam crimen iudico carere oportere*²⁾. Etiam Cicero testis productus est; sed quum inopiam iudicium perspiceret, nihil dixit pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non posset praeterire³⁾). Nam quum Clodius contendisset se hora quadam illius noctis visum esse Interamnae, oppido Umbriae ad Narem fluvium⁴⁾ fere LXXX milibus passuum ab Urbe remoto, idque ita esse C. Cassinius Schola Interamnas, eques Romanus⁵⁾), iurasset, Cicero pro testimonio dixit horis tribus ante Clodium a se Romae visum; iter autem illud tribus horis consici non poterat⁶⁾). Praeterea et servi quidam P. Clodii in quaestione petiti sunt⁷⁾ — sed illi iam alienati fuerant et in diversas provincias a domino missi; — et ancillae quaedam in tormenta postulatae, quae propiores ministerio fuerant Pompeiae⁸⁾). Iam vero quum Cicerone teste producto magna acclamatio advocatorum Clodii facta esset, iudices a senatu postularunt, ut sibi praesidium daretur, quod gra-

1) CIC. Attic. I, 13, 3; in Clod. et Cur. VI, 3; SUETON. Caes. 6.

2) SUETON. Caes. 74; cfr. PLUTARCH. Caes. 10; Cie 29 extr.

3) CIC. Attic. I, 16, 2.

4) PLIN. H. N. III c. 14. s. 19 § 113; XVIII c. 28 s. 67 § 263; cfr. CIC. Attic. IV, 15, 5.

5) ASCON. Argum. Milon. p. 33, 2.

6) SCHOL. BOB. Argum. Orat. in Clod. et Cur. p. 320 et ibi Beier p. 87 et 274 sq.; CIC. Milon. 17, 46 et ibi ASCON.; ad Att. II, 1, 5; QUINTIL. I. O. IV, 2, 88; Orat. pro Dom. 30, 80; PLUTARCH. Cic. 29.

7) Cfr CIC. Milon. 22, 59.

8) SCHOL. BOB. ad Orat. in Clod. et Cur. VI, 3.

vissime ornatissimeque decretum est; responsorum esse Clodium nemo arbitrabatur. Sed subito M. Licinius Crassus rem Clodii suscepit¹⁾ et biduo per unum servum et eum ex gladiatorio ludo confecit totum negotium; arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones non-nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Ita summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV iudices ita fortes tamen fuerunt, ut summo proposito periculo vel perire maluerint quam perdere omnium; XXXI fuerunt, quos famae magis quam fama commoverit. Quorum Catulus quem vidisset quendam, Quid vos, inquit, praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?²⁾). Iudicium factum esse videtur mense Maio³⁾. Clodium autem hac victoria exsultantem Cicero tum in senatu praesentem saepius fregit⁴⁾ tum alibi cavillationibus et dictieriis insectatus est⁵⁾), quo factum est, ut ei in odium acerbissimum veniret⁶⁾.

Clodium in annum 693 = 61 quaestorem designatum fuisse supra vidimus; sed quominus in provinciam iret, ratione iudicii prohibitus esse videtur; eo vero tempore,

¹⁾ Cfr. CIC. Paradox. VI, 2, 46.

²⁾ CIC. Attic. I, 16, 4, 5; cfr. ibid. I, 18, 3; in Clod. et Curion. I, 6; VI, 1, 2; VII, 1, 3 et ad hos locos SCHOL. BOB.; de Aer al Milon. IV, 4; Milon. 31, 86; 32, 87; PLUTARCH. Cicer. 29; MADVIG de Tribun. Aerar. (Progr. a. 1838) p. 13 not. 19.

³⁾ CIC. Attic. I, 16, 9.

⁴⁾ CIC. Attic. I, 16, 8—11; Fragmenta Orationis in Clodium et Curionem; Attic. II, 1, 5.

⁵⁾ CIC. Attic. II, 1, 5.

⁶⁾ VELL. PATERC. II, 45, 1; cfr. CIC. Fam. VII, 2, 3; Provinc. Cons. 10, 24; SCHOL. BOB. Argum. Orat. in Clod. et Cur. p. 330.

quo reus erat, *furiōsas contiones* habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messaliam consulem contumeliose laedebat, Ciceronem comperisse omnia criminabatur¹). Absolutum demum in Siciliam profectum esse puto, ubi C. Vergilii praetoris²) quaestor erat³). De rebus eius in quaestura gestis nihil memoriae proditum legi.

Anno u. 694 = 60 L. AFRANIO, Q. CAECILIO METELLO CELERE Coss. Clodius Romam reversus ad plebem transire constituit, ut ita tribunus plebis fieret⁴), qua in re C. Herennio quodam tr. pl. adiutore usus est; sed quum Q. Metellus consul, qui Clodiam Clodii sororem in matrimonio habebat, huic rei fortiter resisteret, confecta eo anno non est⁵).

Insequenti autem anno (a. u. 695 = 59), C. IULIO CAESARE, M. CALPURNIO BIBULO Coss., quum Cicero C. Antonium, collegam olim in consulatu, defendens praesentem temporum statum deplorasset, Caesar adiuvante Pompeio⁶) Clodium eodem die ad plebem traduxit⁷). Adopta-

¹) CIC. Att. I, 14, 5; 16, 1; in Clod. et Cur. I, 2; SCHOL. BOB. l. c. p. 330.

²) De C. Vergilio vid. GARATON. ad Cic. Planc. 40, 95 p. 235 sqq. Wunder.

³) CIC. in Clod. et Cur. III, 2, 3 et ibi Schol. Bob.; Attic. II, 1, 5.

⁴) Cf. CIC. in Clod. et Cur. III, 2.

⁵) CIC. Attic. I, 18, 4, 5; 19, 5; II, 1, 4, 5; Cael. 24, 60; Harusp. Resp. 21, 45; DIO CASS. XXXVII, 51; cfr. MADVIGH Opusc. p. 403 not. 2.

⁶) Hic tamen Ciceroni caverat aut cavere se simulaverat, ut Cicerō dieit (Sest. 7, 15): *hunc (Clodium) vir clarissimus mihique multis repugnantibus amicissimus, Cn. Pompeius, omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat nihil in tribunatu contra me esse facturum.* Cf. ad Attic. II, 19, 4; 20, 2; 21, 6; 22, 2; 24, 5. — De Pompeii in Ciceronem animo vid. GARATON. et WUNDER. ad Cic. Planc. 34, 85 p. 211 sqq.

⁷) SUETON. Caes. 20; Orat. pro Domo 16, 41; HARUSP. Resp. 21;

vit eum P. Fonteius quidam, homo annos viginti natus¹). Facta haec esse videntur ante mensem Aprilem²). Deinde rumor erat Clodium ad Tigranem, Armeniae regem, legatum prosectorum esse³); sed aliquanto post adiuvante Caesare tribunus plebis creatus est⁴). Designatus tribunus statim Ciceroni minitatus est, qui legatione a Caesare, ut ita periculum effugeret, oblata uti noluit⁵). Extremo anno — nam tribuni a. d. IV Idus Decembres magistratum inire solebant — M. Bibulum consulatu abeuntem contionis habendae potestate privavit⁶).

Anno u. 696 = 58 L. CALPURNIO PISONE CAESONINO, A. GABINIO Coss., quos *consules post hominum memoriam tetricos atque turpisimos Cicero appellat*⁷), Clodius *quattuor leges pernicioseas populo Romano tulit*⁸), quae silentio praeteriri non debent. Prima fuit *frumentaria*, summe popu-

45; DIO CASS. XXXVIII, 10—12; cfr. CIC. Sest. 7, 16; Provinc. Cons. 17, 42; 19, 45. 46; ATTIC. II, 9, 1; 12, 1; PLUTARCH. Caes. 14. Quod autem APPIANUS dicit (Bell. Civ. II, 11): δοκεῖ δὲ ὁ Κλώδιος ἀμείψασθαι πρότερος τὸν Καισαραν καὶ συλλαβεῖν εἰς τὴν τῆς Γαλατίας ἀγχ' ν, id alibi non legi.

¹⁾ Orat. pro Domo 13, 34 sqq.; 29, 77; Harusp. Resp. 27, 57; cfr. SUETON. Tiber. 2.

²⁾ Vid. CIC. Attic. II, 8, 1.

³⁾ CICER. Attic. II, 4, 2; 7, 2. 3.

⁴⁾ CICER. Attic. II, 12, 2; 15, 2; DIO CASS. XXXVIII, 12; APPIAN. Bell. Civ. II, 14; PLUTARCH. Caes. 14; Cat. Min. 33.

⁵⁾ CIC. Attic. II, 18—24; ad Quint. Fratr. I, 2, 5 § 16; Provinc. Consul. 17, 42; PLUTARCH. Cicer. 30; DIO CASS. XXXVIII, 15. 16; cfr. CIC. Attic. IX, 2, A, 1; VELL. PATERC. II, 45, 2.

⁶⁾ DIO CASS. XXXVIII, 12.

⁷⁾ CIC. Plane. 35, 86; cfr. Sest. 7, 17 sqq.; Provinc. Consul. 1, 2; Pison. 10, 23 sq.

⁸⁾ ASCON. ad CIC. Pison. 4, 9.

laris. C. Gracchus enim trib. pleb. a. u. 631 = 123 legem tulerat, ut frumentum semissibus et trientibus in singulos modios populo daretur¹⁾, quae lex aliquoties intermissa fuerat, sed deinde ab aliis repetita²⁾. Clodius vero tulit, ut frumentum populo gratis daretur³⁾.

Altera fuit, *ne quis per eos dies, quibus cum populo agi licaret, de coelo servaret, propter quam rogationem Cicero ait legem Fusiam et Aeliam, propugnacula et muros tranquillitatis atque otii, eversani esse; obnuntiatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmaverat, erat sublata*⁴⁾.

Tertia fuit lex eius *de collegiis restituendis novisque instituendis*⁵⁾. Est autem collegium societas sive corpus hominum minimum trium — nam *tres facere collegium Nera-tius Priscus existimat*⁶⁾ —, quibus aliquid inter se commune est. Quo iure fuerint eiusmodi corpora, patet ex his: *Collegia Romae certa sunt, quorum corpus senatusconsultis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, re-*

¹⁾ LIVI Epit. LX; cfr. BEIER. ad Cic. Off. II, 21, 72; ERNESTH et aliorum Ind. Legum, quarum apud Ciceronem cett. mentio sit, s. v. *Sempronia frumentaria* p. 263 Orell.

²⁾ Vid. Ind. Leg. s. vv. *frumentariae* (p. 177), *Appuleia frumentaria* (p. 136), *Liviae* (p. 213 sq.), *Cassia et Terentia* (p. 119 sq.), *Octavia* (p. 223).

³⁾ CIC. Sest. 25, 55 et ibi SCHOL. BOB. p. 300 sq.; ASCON. ad Pison. 4, 9; DIO CASS. XXXVIII, 13; Orat. pro Domo 10, 25 sq.

⁴⁾ ASCON. ad Pison. 4, 9; cfr. CIC. Sest. 15, 33; 26, 56; Vatin. 7, 18; Provinc. Consul. 19, 45. 46; Pison. 4, 9 sq.; Philipp. II, 32, 81; Orat. post Red. in Sen. 5, 11; Harusp. Resp. 27, 58; DIO CASS. XXXVIII, 13. — Hanc Clodii legem mense Ianuario latam esse patet ex CIC. Pison. 4, 9.

⁵⁾ ASCON. ad Pison. 4, 9.

⁶⁾ DIGEST. L, 16, 85.

tuti pistorum et quorundam aliorum et naviculariorum, qui et in provinciis sunt. Quibus autem permisum est corpus habere collegii, societatis sive cuiusque alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum rei publicae habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, per quem tamquam in re publica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat¹). Erant autem multa collegiorum genera; nam ut nihil dicam de collegiis augurum, haruspicum, pontificum aliisque amplissimis, quae ad ipsam rem publicam pertinebant, alia ad religionem spectabant, alia ad rem militarem, alia ad ludos scenicos, alia ad artes et opificia²). Et opificium quidem collegia tam antiqua erant, ut Numa rex novem collegia instituisse dicereatur: *tibicinum* (αὐλητῶν), *aurifcum* (χρυσοχόων), *architectorum* (τεκτόνων), *tinctorum* (βαφέων), *sutorum* (σκυτοτόμων), *coriariorum* (σκυτοδεψῶν), *aerariorum fabrum* (χαλκέων), *figulorum* (χεραμέων), unumque, quod ceteras artes omnes complectetur³). His alia postea accesserunt, ut *mercatorum*⁴), *vialorum*⁵), cet. Collegiis autem potestatem fecit lex XII tabularum pactionem quam vellent sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumparent⁶). Sed

¹⁾ DIGEST. III, 4, 1; cfr. SCHWEPPPE Römische Rechtsgeschichte u. Rechtsalterthümer § 228.

²⁾ Vid. ORELLII Inscriptiones Latt. n. 4136 sqq., cfr. eiusd. Indic. p. 515 sq. et not. ad Cic. Plane. 12, 30 p. 105 ed. Wunder.

³⁾ PLUTARCH Num. 17; cfr. PLIN. H. N. XXXIV c. 1 s. 1 § 1; XXXV c. 12 s. 46 § 159; FLOR. I, 6, 3; NIEBUHR Röm. Gesch. I p. 623 ed. sec.

⁴⁾ LIV. II, 27, 6.

⁵⁾ GELL. Noct. Att. XII, 3.

⁶⁾ DIGEST. XLVII, 22, 4; ibidem collegium dicitur a Graecis ἑταιρία vocari. Cfr. DIRKSEN Uebers. der Zwölf-Tafel-Fragmente ad Tab. VIII fr. 27 p. 625 sqq.

crescente paullatim collegiorum numero *frequenter etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico siebant*¹); haec igitur collegia iis similia fuisse videtur, quae Anglice *clubs*, Gallice *des associations* appellantur. Inde factum, ut a. 686 = 68 (quamquam hic annus incertus est) senatusconsulto collegia tollerentur praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desideraret, ludique, quos magistri collegiorum praetextati facere solerent, discuterentur²). Clodius autem *non ea solum collegia, quae senatus sustulerat, restituit, sed innumerabilia quaedam nova ex omni saepe urbis ac servitio concitavit*³); nam servos quoque in collegia recipi licebat volentibus dominis⁴). *Decreta* autem a collegiis facta, quas nunc *resolutiones* vocant, aliquoties commemorantur⁵). — Ceterum, ut hoc addam, Iulius Caesar postea *cuncta collegia praeter antiquitus constituta distractxit*⁶); nova autem subinde orta esse ex eo appareat, quod et Augustus *collegia praeter antiqua et legitima dissolvit*⁷), et alia quaedam Imperator Claudius sustulit⁸). Sed permulta etiam ad extrema imperii Romani tempora permanessisse *Inscriptiones* docent.

Quarta lex Clodii fuit, *ne quem censores in senatu legendo praeterirent neve qua ignominia adficerent, nisi qui apud*

¹⁾ ASCON. ad Cic. Cornel. p. 75 Orell.

²⁾ CICER. Pison. 4, 8 et ibi ASCON.; ASCON. ad Cornel. l. c.

³⁾ CICER. Pison. 4, 9; cf. 5, 11; Sest. 15, 34; 25, 55; Attic. III, 15, 4; Orat. post Red. in Sen. 13, 33; DIO CASS. XXXVIII, 13.

⁴⁾ DIGEST. XLVII, 22, 3.

⁵⁾ CIC. Sest. 14, 32; Pison. 18, 41; Orat. pro Domo 28, 74.

⁶⁾ SUETON. Caes. 42.

⁷⁾ SUETON. Aug. 32.

⁸⁾ DIO CASS. LX, 6.

eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset¹).
Hanc legem Q. Caecilius Metellus Scipio consul cum Cn.
Pompeio a. u. 702 = 52 abrogavit².

Sed nulla ex his rogationibus tantos in re publica motus excitavit, quam quum ferebat, ut *ei, qui civem Romanum indemnatum interemisset, aqua et igni interdiceretur³*). His verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus pertebatur, ut qui consul P. Lentulum, C. Cethegum, L. Statilium, P. Gabinium, M. Coeparium indicta caussa suppicio adficiendos curasset. Itaque promulgata rogatione perterritus vestitum mutavit et populum rogare coepit⁴), idemque fecerunt plerique equites Romani et ad viginti milia adolescentium, senatusque frequens vestem mutandam censuit; sed consules⁵) subito edixerunt, ut ad suum vestitum senatores redirent⁶), alterque eorum A. Gabinius L. Aelium

1) ASCON. ad Cic. Pison. 4, 9; cfr. CIC Sest. 25, 55 et ibi SCHOL. BOB. p. 300; Provinc. Consul. 19, 46; Pison. 4, 9 sq.; HAR. Resp. 27, 58; DIO CASS. XXXVIII, 18.

2) DIO CASS. XL, 57.

3) VELL. PATERC. II, 45, 1; cfr. LVII Epit. CIII; DIO CASS. XXXVIII, 14; CICER. Sest. 34, 73; Pison. 6, 14; 7, 16; 29, 72; Milon. 32, 87; 33, 89; 37, 103. — In hac re agenda Clodium adiuvabat *P. Vatinius* (CIC. Sest. 64, 133), fortasse etiam *M. Antonius*, qui *intimus erat in tribunatu Clodio, eius omnium incendiiorum fax* (CIC. Phil. II, 19, 48; cfr. DIO CASS. XLV, 40).

4) CICER. Attic. III, 15, 5; PLUTARCH. Cic. 30; APPIAN. Bell. Civ. II, 15; DIO CASS. XXXVIII, 14.

5) Ab his frustra petitum erat, ut Ciceronis caussam susciperent; vid. CIC. Sest. 11, 25: *Flagitabatur ab his quotidie quum querelis bonorum omnium tum etiam precibus senatus, ut meam caussam susciperent, agerent, aliquid denique ad senatum referrent. Hi non modo negando, sed etiam irridendo amplissimum quemque illius ordinis insequebantur.*

6) PLUTARCH. Cicer. 31; Crass. 13; DIO CASS. XXXVIII, 16; cfr. CIC. Plane. 35, 87; Sest. 11, 26—14, 33; Pison. 8, 17 sq.; 10, 23;

Lamiam, equitem Romanum, qui pro salute Ciceronis propugnabat, in contione relegavit edixitque, ut ab Urbe abesset milia passuum ducenta; idemque in contione affirmavit equites Romanos datus illius diei poenas, quo Cicerone consule cum gladiis in clivo Capitolino fuissent¹⁾). Iam vero quum consules, qui quas volebant provincias per Clodium a populo se impetraturos esse sperabant, ei aperte faverent, Caesar autem Pompeiusque et Crassus Ciceronis caussam suscipere nollent, hic, quum pugnare non auderet, in exsilium abiit²⁾). Profectus esse videtur extremo mense Martio³⁾). Post discessum eius Clodius tulit, ut ei aqua et igni interdiceretur, neve quis eum intra quingenta milia passuum ab Italia tecto recipere⁴⁾; quamquam, quid in hac lege fuerit, non satis constat⁵⁾). Sanxerat autem Clodius, *ut vix aut omnino non posset nec per senatum nec per populum infirmari sua lex*⁶⁾; *ne referri neve dici liceret*⁷⁾.

Orat. post Red. in Sen. 5, 12; post Red. ad Quir. 3, 8; MADVIGH Opusc. p. 454 not.

1) CICER. Sest. 12, 28 sqq. et ibi SCHOL. BOB. p. 296; Pison. 10, 23 ibique Ascon.; 27, 64; ad Fam. XI, 16, 2; XII, 29, 1; Orat. post Red. in Sen. 5, 12; SCHOL. BOB. ad Cic. Planc. 35, 87 p. 271; DIO CASS. XXXVIII, 16.

2) CICER. Attic. III, 15, 4. 7; X, 4, 1—5; ad Q. Fratr. I, 4, 1. 4; III, 4, 2; ad Fam. I, 9, 13; XIV, 3, 1; Planc. c. 35—37; Sest. 15, 35—23, 52; Vatin. 3, 6; Provinc. Cons. 8, 18; 18, 43; Pison. c. 9, c. 14, c. 30—32; de Aer. al. Milon. I, 2 ibique SCHOL. BOB. p. 343; II, 1; V, 4; Milon. 14, 36—37; 27, 73; 32, 87; Paradox. IV; PLUTARCH. Cicer. 31; Cat. 35; DIO CASS. XXXVIII, 15—17; IUL OBSEQ. de Prodig. c. 128.

3) CICER. Attic. III, 2; cfr. FABRICH Hist. Ciceronis p. 62 ed. Orell.

4) PLUTARCH. Cic. 32.

5) CICER. Attic. III, 1; 2; 4; 7, 1; Fam. XIV, 4, 2; DIO CASS. XXXVIII, 17.

6) CICER. Attic. III, 23, 2; cfr. Orat. post Red. in Sen. 4, 8.

7) CICER. Attic. III, 15, 6.

Deinde Ciceronis bona publicavit, villas diripuit, domum in monte Palatino sitam incendit inque eius area templum Libertatis aedificavit¹); item coniugem eius Terentiam liberosque vexavit²). Tum vero post *electum Ciceronem velut criminum eius elogia proscripserat Clodius et easdem tabulas in vestibulo domus sue fixerat*³).

Eodem vero die, quo Cicero patriam reliquit, praemia proditae rei publicae consulibus soluta sunt; lex enim a Cludio rogata est, ut *Gabinio* Cilicia, *Pisoni* Macedonia provincia esset; sed non multo post, quum Syriam mallet Gabinius, nova lege lata Cilicia ad praetorem extra ordinem translata est, Syria vero Gabinio data⁴).

Praeter Ciceronem unus vir illo tempore Romae fuit,

¹⁾ CICER. Planc. 40, 95; Sest. 24, 54; 57, 121; 69, 145; Cael. 32, 78; Pison. 11, 26 ibique ASCON; Milon. 32, 87; ad Attic. IV, 1, 3; Legg. II, 17, 42; Paradox. IV, 1, 28; Orat. pro Domo 20, 51; 24, 62; 39, 103; 41, 108; 42, 110—43, 112; 44, 116; PLUTARCH. Cicer. 38; DIO CASS. XXXVIII, 17; XXXIX, 11; APPIAN. Bell. Civ. II, 15.

²⁾ CICER. ad Fam. XIV, 2; Planc. 30, 73; Sest. 24, 54; 69, 145; Corn. Balb. 26, 58; Milon. 32, 87; Rab. Post. 17, 47; Orat. pro Dom. 23, 59.

³⁾ SCHOL. BOB. ad Cicer. de Aer. al. Milon. III, 1 p. 345. Verba Ciceronis, ad quae sua Schol. adscripsit, haec sunt: *ut quas haberet in vestibulo tabulas refrigeret*. Iam post verba illa, quae supra posui, Schol. ita pergit: *de quibus nunc loqui videtur, easque contendit, quoniam falsae sint et calumniosae, pro nihilo esse ducendas; nec ullam sibi ex iis invidiam re pertimescendum, qui et in senatus consultum nihil mentitus sit et restitutionem meruerit*. Loco corruptorum verborum *in S. C. nihil* cum Maio legendum videtur *senatus consultum nullum*; nam in Orat. pro Dom. 19, 50 in Clodii lege scriptum fuisse dicitur: *Quod M. Tullius falsum senatusconsultum retulerit*.

⁴⁾ CICER. Sest. 10, 24 sq.; 14, 33; c. 24—25; 33, 71; 43, 93, 94; Provinc. Cons. 2, 3; 4, 7; Pison. 6, 12; 9, 21; 12, 28; 16, 37; 21, 49; 24, 56; 35, 86; Milon. 27, 73; Orat. post Red. in Sen. 7, 17 sq.; Orat. pro Dom. 9, 23; 21, 55; SCHOL. BOB. ad Cic. Planc. 35, 86 p. 271.

qui Pompeii et Caesaris consiliis resistere et posse et non nolle videretur, *M. Porcius Cato* (qui postea Uticensis dictus est). Itaque quum hic quoque removendus esset, Clodius eodem tempore, quo Ciceronis caussa agebatur, legem tulit, ut Cato quaestor cum iure praetorio adiecto etiam quaestore in insulam Cyprum mitteretur ad Ptolemaeum regem, cui ob pecuniam sibi olim parcus missam (vid. ad ann. 687 p. 4) iratus erat, regno spoliandum. Qui quum sub adventum Catonis vitae suae vim intulisset, hic pecuniam sperata longe maiorem Romam reportavit¹). — Eadem lege Clodius Catoni iniunxerat, ut Byzantios quosdam exsules, qui a civibus suis electi erant et rerum capitalium condemnati esse dicebantur, in patriam restitueret. Etiam hoc munere Cato functus est et Byzantium pacatum reliquit²).

Denique fanum Magnae Matris Pessinunte, Galatiae oppido, priore sacerdote expulso Clodius Brogitaro Gallo-graeco, Deiotari genero, impuro homini, grandi pecunia vendidit eumque cum Deiotaro regem appellavit³).

Haec sunt gravissima facta tribunatus Clodiani, quae apud scriptores veteres singulatim commemorantur; sed si Ciceroni fides habenda est, etiam alia multa tacentibus con-

¹) VELL. PATERC. II, 45, 4. 5; LIVI Epit. CIV; CIC. Sest. 26, 57—29, 63 et ibi SCHOL. BOB. p. 301; Milon. 27, 73; Orat. pro Domo 8, 20—9, 22; 20, 52. 53; 25, 65; PLUTARCH. Cat. Min. 34—39; 45; DIO CASS. XXXVIII, 30; XXXIX, 22; APPIAN. B. C. II, 23; STRABON. XIV. p. 684; FLOR. III, 9; SEXT. RUF. 13; AMMIAN. MARCELL. XIV, 8 extr.; VALER. MAX. IV, 1, 14; IV, 3, 2; IX, 4, ext.; PLIN. H. N. VII c. 30 s. 31 § 113; XXXIV c. 8. s. 19 § 92.

²) CICER. Sest. 26, 56 et ibi SCHOL. BOB. p. 301; 30, 84; Orat. pro Domo 20, 52 sq.; 50, 129; Harusp. Resp. 27, 59; PLUTARCH. Cat. Min. c. 34 extr. et c. 36; cfr. CIC. Q. Fratr. II, 9, 2.

³) CICER. Sest. 26, 56; 39, 84; Orat. Harusp. Resp. 13, 28 sq.; 27, 59; STRABON. XII p. 567; cfr. CICER. Q. Fratr. II, 9, 2.

sulibus et spreto senatu perpetravit. Vide modo haec: *Quae vero promulgata illo anno fuerint¹⁾ , quae promissa multis, quae conscripta, quae sperata, quae cogitata, quid dicam? Qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negotii publici cogitari, optari, fangi curatio potuit, quae non esset adtributa atque descripta? quod genus imperii aut quae provincia, quae ratio auferendae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? quae regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? Damnatis de vi restitutio²⁾ , consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti³⁾ comparabatur. Haec gemebant boni, sperabant improbi, agebat tribunus plebis, consules adiurabant⁴⁾.*

Iam vero diuturna impunitate sublatus animo Clodius etiam Pompeio adversari coepit. Hic enim quum in Asia bellum gereret, *Tigranes* minor, Tigranis Armeniorum regis filius, qui a patre defecerat, proelio victus in castra Romanorum confugerat⁵⁾. Ibi a Pompeio liberaliter acceptus est et Sophene, Armeniae regione, donatus; sed quum hoc regno non contentus res novas moliri videretur, in vincula coniectus et a. u. 693 = 61 cum uxore et filia in triumpho ductus est⁶⁾. Post triumphum *Mithridaticum* Pom-

¹⁾ Ita scripsi ex emendatione Madvigii, vid. Opusc. p. 466.

²⁾ Hi qui sint ignoramus.

³⁾ *Popularis sacerdos* Clodius vocatur etiam Pison. 36, 89, nimirum ob violata Bonae Deae sacra.

⁴⁾ CICER. Sest. 30, 66; cfr. Vatin. 15, 36; Milon. 32, 87.

⁵⁾ DIO CASS. XXXVI, 34; APPIAN. Bell. Mithrid. 104; PLUTARCH. Pomp. 33.

⁶⁾ DIO CASS. XXXVI, 36; APPIAN. Bell. Mith. 105, 117; PLUTARCH. Pomp. 33, 45.

peius eum in catenis deposuerat apud L. Flavium senatorem, qui postea quum esset praetor hoc ipso anno, petuit ab eo Clodius super coenam, ut Tigranem adduci iuberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium, dein Flavio non reddidit; Tigranem dimisit et habuit extra catenas nec repetenti Pompeio reddidit; postea in navem depositus, et quum profugeret ille, tempestate delatus est Antium. Inde ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium¹⁾ misit, qui eum reduceret. Flavius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. In via Appia ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est, in qua multi ex utraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flavi, inter quos et M. Papirius, eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeio. Flavius sine comite Romam vix persugit²⁾). Haec prima caussa fuit gravis inimicitiae inter Pompeium et Clodium, eoque tempore alter consulum Gabinius collegit ipse se et contra suum Clodium, primum simulate, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio vere vehementerque pugnavit³⁾).

Clodii et Clodianorum contumelias⁴⁾ aegre ferens Pompeius iam tum de revocando Cicerone consilia agitavit⁵⁾). Actum est etiam in senatu de hac re Kalendis Iuniis, referente L. Niunio Quadrato trib. pl.; sed res sperato exitu caruit, quum alias tribunorum Aelius Ligus intercederet⁶⁾.

¹⁾ *Sex. Clodius fuit familiarissimus Clodii et operarum Clodianarum dux. ASCON. ad Cic. Pis. 4, 8. De hoc homine alio tempore pluribus agam.*

²⁾ *ASCON. ad Cic. Milon. 14, 37; cfr. Cic. Milon. 7, 18 et ibi SCHOL. BOB. p. 284; Orat. pro Domo 19, 49; 25, 66; DIO CASS. XXXVIII, 30; PLUTARCH. Pomp. 48; Cic. Att. III, 8, 3.*

³⁾ *CICER. Pison. 12, 27 sq.; Orat. pro Domo 25, 66.*

⁴⁾ *PLUTARCH. Pomp. 48 sq.*

⁵⁾ *Cfr. CICER. ad Attic. III, 8, 3; III, 10, 1.*

⁶⁾ *CIC. Sest. 31, 68; Orat. post Red. in Sen. 2, 3; DIO CASS. XXXVIII, 30.*

Quamquam vero senatus redditum Ciceronis ita flagitabat, ut omnia reiiceret, nisi de eo primum consules retulissent, tamen nihil eo anno perfectum est, quum consules rem suscipere nollent Clodii legem timere se simulantes¹⁾.

Inter tumultus huius temporis etiam Pompeio insidiae factae sunt; *quum enim III Idus Sextiles Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sica excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata dictum est servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim donum rediit et se domi tenuit. Obsessus est etiam a liberto Clodii Damione*²⁾.

Sed a. u. 697—57, quo anno Clodius privatus erat, quum alter consulum P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER Ciceroni amicissimus esset, alter Q. CAECILIUS METELLUS NEPOS, qui ei vel maxime ex magnis contentionibus rei publicae fuisset inimicus³⁾, simultatem ad tempus depo-

¹⁾ CICER. Sest. 31, 68—33, 71; Pis. 13, 29, 30; ad Attic. III, 13, 1; 14, 1; 15, 3. 5. 6; 18; 20, 3; 23—27; Orat. post Red. in Sen. 2, 4; pro Domo 26, 70; PLUTARCH. Cic. 33.—Cicero tempus exsiliae maxime Dyrrachii et Thessalonicae egit; sed quam adflecto animo fuerit, ex epistolis eius a. 696 scriptis intelligitur, nimirum ad Attic. III; ad Q. Fratr. I, 3. 4; ad Fam. XIV, 1—4; cfr. Planc. c. 40—42; Divinat. I, 28, 59; VALER. MAX. I, 7, 5; CORN. NEP. Attic. 4, 4; PLUTARCH. Cic. 32; DIO CASS. XXXVIII, 18—29. — *Cn. Plancius*, qui eo anno in Macedonia quaestor fuit, Ciceronem recepit, iuvit, custodivit, conservavit; vid. Planc. 10, 26; 25, 61; 29, 71 (ubi vitae suae insidias ab inimicis factas esse dicit); 32, 78; 40, 95 sqq. — Senatus vero Ciceronis salutem exteris nationibus ut civis optimi commendavit; vid. CIC. Planc. 32, 78; Sest. 22, 50; 60, 128; Pison. 15, 34; Paradox. IV, 1, 29.

²⁾ ASCON. ad Cic. Mil. 14, 37. Cfr. CIC. Sest. 32, 69; 39, 84; Pison. 7, 16; 12, 28; de Aere al. Milon. I, 3. 4; II, 8; Milon. 7, 18. 19; 27, 73; 32, 87; Paradox. IV, 2, 31; Orat. post Red. in Sen. 2, 4; pro Domo 5, 13; Harusp. Resp. 23, 48 sq.; PLUTARCH. Pomp. 49.

³⁾ CICER. Sest. 62, 130.

suisset, quum plerique magistratum et inter tribunos plebis maxime *P. Sestius* et *T. Annius Milo* Pompeio duce et auctore Ciceronis caussam suscepissent, lex de revocando eo pridie Nonas Sextiles perlata est. Quo facto post septemdecim mensium absentiam pridie Nonas Septembres Romam rediit¹⁾). Postea etiam domus area ei restituta est, et superficies aedium villaque vastatae a consulibus ex senatus consulto aestimatae, ut eas pecunia publica restitueret²⁾).

Clodius autem quum a fratre *Appio Claudio Pulchro*, qui praetor eo anno erat, adiuvaretur, et in senatu Ciceroni vehementer restitutus et in Urbe armatis hominibus³⁾ multas turbas excitavit; cui quum in primis Milo resisteret, qui et ipse viros acres armaverat et gladiatores emptos cir-

¹⁾ CIC. Sest. 33—39; 50—63; Vatin. 3, 8; Provinc. Consul. 18, 43; Pison. 11, 25; c. 15; 22, 51 sq.; Milon. 14, 38; 15, 30; 25, 68; 34, 94; 37, 102; Attic. IV, 1; ad Fam. I, 9, 4. 9. 16; V, 4; Paradox. IV, 1, 28; Legg. III, 19, 45; LIVI Epit. CIV; VELL. PATERC. II, 45, 3; PLUTARCH. Cicer. 33; Pomp. 49; APPIAN. B. Civ. II, 16; DIO CASS. XXXIX, 6—10; WOLF ad Pseudo-Cicer. Oratt. IV p. 3 sqq.—Huc pertinent duae illae orationes, quae Ciceronis vulgo feruntur, *Post redditum in senatu* (cfr. CIC. Attic IV, 1, 5; Planc. 30, 74) et *Ad Quirites post redditum* (cfr. CIC. Att. IV, 1, 6). — Hoc loco iocum aliquem afferam, quem MACROBIUS servavit (Saturn. II, 6): *Quum iratus esse P. Clodius D. Laberio diceretur, quod ei mimum petenti non dedisset, Quid amplius, inquit, mihi facturus es, nisi ut Dyrrachium eam et redeam? adludens ad Ciceronis exsilium.*

²⁾ CICER. Attic. IV, 1, 7; IV, 2, 2—5; ad Fam. I, 9, 5; Pison. 22, 52 et ibi ASCON.; Orat. Harusp. Resp. 6, 12; 7, 15 sq.; VELL. PATERC. II, 45, 3; PLUTARCH. Cicer. 33; APPIAN. B. Civ. II, 16; DIO CASS. XXXIX, 11; cfr. CICER. ad Q. Fratr. II, 4, 2; II, 6, 2. 3; III, 2, 3. — Huc pertinet oratio, quae Ciceroni adscribitur, *Pro Domo sua ad Pontifices.*

³⁾ Operas illas *Clodianas*, quae saepissime commemorantur, Gallice vertas *des ouvriers* et nihil sub sole novi esse, ut proverbio dicitur, mecum confiteberis.

cum se habebat, tum ante Ciceronis redditum tum post eum multae pugnae et caedes factae sunt¹). — Inter hos tumultus etiam *Nymphae aedes*, in qua tabulae publicae censorum servabantur, incensa esse videtur, quod facinus P. Clodio eiusque satelliti Sex. Clodio aliquoties tribuitur²). Ubi haec aedes sita fuerit, nescio; cominemoratur quidem *sacellum Querquetulanum* in Esquiliis³), et apud Festum legimus: *Querquetulanae virae putantur significari nymphae praesidentes querqueto virescenti, quod genus silvae indicant fuisse intra portam, quae ab eo dicta sit Querquetularia*⁴); *sed feminas antiqui, quas sagas nos dicimus, viras appellabant*⁵). Sed hoc sacellum Querquetulanum idem esse atque Nymphae aedem, quae apud Ciceronem commemoratur, contendere non audeo⁶). — Ad eosdem tumultus referendum videtur, quod L. Caecilius praetoris domus oppugnata est⁷), qua de re haec apud Asconium legimus: *L. Caecilius [Rufus], de quo dicitur, fuit praetor P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote consulibus, quo anno Cicero restitutus est. Is quum ficeret ludos Apollinares*⁸), ita infima

¹⁾ CICER. Sest. c. 35—42; Attic. IV, 2, 3. 4; IV, 3; Q. Fratr. II, 1, 2; II, 3, 6; Paradox. IV, 2, 30; Offic. II, 17, 58; Orat. Harusp. Resp. 8, 15; PLUTARCH. Cicer. 33; Pomp. 49; DIO CASS. XXXIX, 7—8.

²⁾ CIC. Mil. 27, 73; Paradox. IV, 2, 31; Cael. 32, 78; cfr. Sest. 39, 84; 44, 95; Orat. post Red. in Sen. 3, 7; Harusp. Resp. 18, 39; 27, 57.

³⁾ VARR. Ling. Lat. IV p. 15 ed. Bip.

⁴⁾ Cfr. PLIN. Hist. Nat. XVI c. 10 s. 15 § 37.

⁵⁾ FEST. de Verb. sign. p. 221 ed. Lindem.; cfr. PAUL. DIAC. ibid. p. 133.

⁶⁾ Ceterum montem Caelium antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse TACITUS tradit (Annal. IV, 65), et apud PLINIUM (H. N. III c. 5 s. 9 § 69) inter populos Albenses Querquetulani comminemorantur.

⁷⁾ CICER. Milon. 14, 38.

⁸⁾ Ludos Apollinares ante diem tertium Nonas Quintiles factos esse

coacta multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi caussa consederant, pellerentur. De oppugnata domo nusquam adhuc legi. Pompeius tamen, quum defendereret Milonem apud populum, de vi accusante Clodio¹), obiecit, ut legimus apud Tironem, libertum Ciceronis, in libro IV de vita eius, oppressum a Clodio L. Caeciliūm practorem²). — Eodem tempore Quinti Ciceronis domus primo fracta est coniectu lapidum, deinde inflammata iussu Clodii, inspectante urbe, coniectis ignibus³).

Iam vero ut Clodium legum, si posset, vinculis constringeret, Milo eum de vi accusavit; sed *ecce tibi consul* (Q. Metellus), *praetor* (App. Claudius), *tribunus plebis* (Sex. Atilius Serranus) *nova novi generis edicta proponunt, ne reus adsit, ne citetur, ne quaeratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicium aut iudiciorum facere liceat*⁴). Nimirum vetabant iudiciorum fieri mentionem, priusquam comitia aedilicia habita essent, ut Clodius, qui aedilitatem petebat, eam adeptus iudicium effugeret⁵).

Anno u. 698 = 56 Cn. CORNELIO LENTULO MARCELINO, L. MARCIO PHILIPPO COSS. Clodius *aedilis* fuit, hoc demum anno (a. d. XI Kal. Febr.) *creatus*, quum propter tumultus urbanos comitia superiore anno perfici non potuis-

LIVIUS tradit (XXVII, 23, 7); sed in Kalendariis veteribus ad pridie Nonas Quintiles referuntur (vid. ORELL. Inscript. II p. 394).

¹) Vid. paullo infra ad ann. 698 = 56.

²) ASCON. ad Milon. 14, 38.

³) CICER. Attic. IV, 3, 2; Cael. 32, 78; Milon. 32, 87.

⁴) CICER. Sest. 41, 89; cfr. Sest. 44, 95; Milon. 13, 35; 15, 40; Attic. IV, 3, 2. 3. 5; ad Fam. I, 9, 15; Orat. post Red. in Sen. 8, 19; PLUTARCH. Cic. 33; DIO CASS. XXXIX, 7; MADVIG de Tribunis aerariis pag. 5 not. 4; WUNDER ad Cic. Planc. p. LXXXII, LXXXVII, LXXXIX.

⁵) Cfr. CICER. Q. Fratr. II, 1, 2. 3.

sent¹). Statim (a. d. IV Non. Febr.) Milonem de vi reum fecit²) in eumque et Pompeium, qui Milonem defendebat, et Ciceronem invectus est, unde iterum pugnae et caedes ortae sunt³). Quin insidias vitae suae fieri Pompeius suspicatus est⁴). Quum vero prodigia quaedam facta essent, et consulti haruspices respondissent iram deorum portendi, quod loca sacra profanata essent, Clodius hoc de Ciceronis domo intelligendum esse contendens, ut quae in area Libertati dedicata aedificaretur, eam per vim diruere conatus est; sed quominus rem persiceret, a Milone prohibitus est⁵).

Quum Cicero deinde acta Clodii rescindere conaretur, quod eum contra leges tribunum plebis factum nihil iure agere potuisse contenderet, M. Cato ex Cypro reversus, ne etiam quae ipse gessisset contra leges facta esse iudicarentur, Clodii partes suscepit; sed etiam hunc virum Clodius paullo post adgressus est absentis Caesaris auxilio fretus⁶). —

¹) CICER. Att. IV, 3—5; Q. Fratr. II, 1, 2, 3; II, 2, 2; Fam. I, 4, 1; cfr. Sest. 55, 118; DIO CASS. XXXIX, 18.

²) *Miloni diem dixit P. Clodius, quod gladiatores adhibuisset, ut rogationem posset de Cicerone perferre.* SCHOL. BOB. ad Cic. Mil. 15, 40 p. 288.

³) CICER. Q. Fratr. II, 3; II, 6, 5; II, 7; Fam. I, 5 B, 1; I, 7, 7; Sest. 44, 95; 69, 144; Vatin. c. 17; Milon. 15, 40; 25, 68; DIO CASS. XXXIX, 18—19; cfr. ORELLII Excurs. de ordine Epistolarum ad Quintum Fratrem p. 432 sqq.

⁴) CICER. Q. Fratr. II, 3, 4.

⁵) DIO CASS. XXXIX, 20; cfr. CIC. Attic. IV, 7, 3. — Huc pertinet oratio illa, quae Ciceroni tribuitur, *de haruspicum responsis*.

⁶) DIO CASS. XXXIX, 21—23; PLUTARCH. Cicer. 84; Cat. Min. 40; cfr. CIC. Prov. Cons. 19, 45—20, 47; Orat. pro Dom. 16, 42; Harusp. Resp. 24, 50 sq. — Tribunus plebis eo anno fuit L. Racilius, cuius *divina in se merita* Cicero commemorat (Plane. 32, 77; cfr. Q. Fratr. II, 1, 2, 3; II, 6, 5; Fam. I, 7, 2). SCHOL. BOB. ad locum illum Plane. p. 268 inter alia tradit: *exstat libellus Ciceronis,*

Extremo autem anno cum Pompeio in gratiam rediit; cuius quum caussam ageret, tumultu ad curiam orto paene interfectus est¹). — Eodem anno **M. Caelius** accusatus est, quod aurum a Clodia, Clodii sorore, mutuum sumpsisset venenumque quaesisset, quod Clodiae daretur; sed Cicerone defendantem absolutus est. In accusando Caelio etiam **P. Clodii** quaedam partes fuerunt²).

Anno 699 = 55, quo anno **Cn. Pompeius** et **M. Licinius Crassus** secundum consulatum per vim arreptum gerabant, modo unam Clodii mentionem apud Ciceronem inveni: *Crassus consul dixit esse, quod Clodius hoc tempore cuperet per se et per Pompeium consequi; putare se, si ego eum non impedirem, posse me adipisci sine contentione quod vellem. Totum ei negotium permisi meque in eius potestate dixi fore. Illud autem, quod cupid Clodius, est legatio aliqua, si minus per senatum, per populum, libera aut Byzantium aut ad Brogitarum aut utrumque. Plena res numorum³).* Quod ego non nimium labore, etiam si minus adsequor, quod volo⁴). Fieri potest, ut hanc legationem consecutus Clodius ab Urbe absuerit.

qui ita inscribitur: EDICTUM L. RACILII TRIBUNI PLEBI, quod sub nomine ipsius Cicero inscripsit in invectionem P. Clodii. De eiusmodi edictis, quae propria erant magistratum, quibus in dissensione ad convicia facile abutebantur, GARATONIUS egit ad Planc. l. c. p. 193 sq. ed. Wunderi. Itaque, nisi fallit coniectura, Cicero in his cum Clodio certaminibus Racilii opera usus est.

¹⁾ DIO CASS. XXXIX, 29; efr. Orat. Harusp. Resp. 24, 52.

²⁾ CIC. Cael. 11, 27.

³⁾ De exsilibus Byzantiis per Clodium restitutis et de Brogitaro dictum est supra p. 21. Videtur autem Clodius cum iis syngraphas fecisse (Orat. pro Domo 50, 129), ex quibus debitam sibi pecuniam nunc exigere volebat.

⁴⁾ CIC. Q. Fratr. II, 9, 2.

Anno 700 = 54, quum L. DOMITIUS AHENOBARBUS et AP. CLAUDIO PULCHER, Clodii frater, consules erant, hic praeturam in annum proximum petiit; sed quum immanni ambitu candidatorum comitia ita tracta essent, ut Quintili demum mense a. 701 = 53 novi magistratus curules crearentur¹⁾, Clodius, ut integrum annum ad praeturam gerendam haberet, subito reliquit annum suum seseque in annum proximum transtulit²⁾. Eodem anno cum Cicerone et quattuor aliis patronis M. Scaurum repetundarum reum defendit³⁾. Praeterea legimus Clodium ad Caesarem litteras misisse, quibus quum respondere vellet Q. Cicero, Caesar petenti veniam non dedit⁴⁾. Denique nescio quid novae simultatis inter Clodium et Pompeium ortum esse videtur; in epistola certe a. d. IX Kalend. Novemb. scripta Cicero timet, ne Pompeius cum Cladio in gratiam redeat⁵⁾. Hoc tamen postea factum est, sed incertum quo anno, et ita quidem, ut Clodius *abiecta omni dignitate ordinis sui Pompeium demisis precibus oraverit, ut ab eo in gratiam recipetur*⁶⁾.

1) CICER. Att. IV, 15, 7; 16, 6—8. 11; 17, 2; 18, 2—3; Q. Fratr. II, 15 b, 4; 16, 2. 3; III, 1 c. 5 § 16; 2, 3; 3, 2; 8, 3. 4; 9, 3; Fam. VII, 11, 1; DIO CASS. XL, 45; PLUTARCH. Pomp. 54; Cat. Min. 44; PEYRON Exc. V ad Or. pro M. Scauro p. 286 sqq. ed. Beier.

2) CICER. Milon. 9, 24; SCHOL. BOB. ad Or. de Aere al. Milon. III, 4 p. 346.

3) ASCON. ad Cic. Scaur. p. 20; cfr. CIC. Scaur. 37 et ibi Beier p. 197. — De Scauro, candidato consulatus, bis accusato et damnato, vid. BEIER. ad Cic. Off. I, 39, 138; ad Fragm. Oratt. p. 128, 228.

4) CIC. Q. Fratr. III, 1 c. 4 § 11 coll. c. 5 § 17.

5) CIC. Q. Fratr. III, 4, 2.

6) SCHOL. BOB. ad Cic. de Aer. al. Milon. II, 5 p. 344; cfr. ibid. II, 7; V, 4 cum Schol. p. 347; CIC. Milon. 8, 21; 29, 79; 32, 88. — Nescio quo referendus sit locus Ciceronis ex oratione pro P. Vatinio (CIC. ad Fam. I, 9, 19): *Petivi a iudicibus, ut, quoniam quidam*

Anno 701 = 53 Cn. DOMITIUS CALVINUS, M. VALENIUS MESSALA consulatum inierunt septimo anni mense¹⁾). His consulibus fere nihil in Urbe actum est nisi de comitiis habendis; sed quum candidati *non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti* magistratus peterent²⁾), nihil perfici poterat, quamquam consules lato clavo deposito equestri vestitu tamquam in magno luctu senatum habebant³⁾). Consulatum autem petebant *T. Annius Milo, P. Plautius Hypsaeus, Q. Caecilius Metellus Scipio, praetoram P. Clodius*; qui quum et Miloni infestissimus esset et, ne ab eo consule coerceretur⁴⁾), timeret, contulit se ad eius competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam invitatis illis gubernaret; tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus; se interponebat; Collinam novam⁵⁾ delectu perditissimorum civium conscribebat⁶⁾). Itaque inter Milonis et Clodii factiones saepe

nobiles homines et de me optime meriti nimis amarent inimicum meum meque inspectante saepe eum in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur, quoniamque illi haberent suum Publum, darent mihi ipsi alium Publum, in quo possem illorum animos mediocriter lacesitus leviter repungere.

¹⁾ DIO CASS. XL, 17, 45; cfr. APPIAN. B. Civ. II, 19.

²⁾ ASCON. Argum. Milon. p. 31 ed. Orell.

³⁾ DIO CASS. XL, 46.

⁴⁾ CICER. Milon. 9, 25; 12, 32; 13, 34; 16, 43; 19, 51; 31, 84; 32, 88 sq.

⁵⁾ *Collina* erat una ex quattuor tribubus urbanis, quae plebem urbanam continebant (PLIN. Hist. Nat. XVIII c. 3 s. 3 § 13). Quid sit autem, quod Clodium fecisse Cicero arguat, obscurum est; sed vera est fortasse Garatonii interpretatio: *Clodius tantum perditissimorum civium numerum conscriperat, ut Collina tribus, quae maxima erat, maiorem tribulum numerum non haberet.*

⁶⁾ CIC. Milon. 9, 25.

pugnatum est¹). Inter hos tumultus etiam Calvinus consul vulneratus est²) et Cicero paene interfectus, ut ipse dicit: *haec (sica Clodii), haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me; nuper quidem, ut scitis, me ad regiam paene confecit³*). Ad quae verba haec notavit Asconius: *Quo die periculum hoc adierit, ut Clodius eum ad Regiam paene confecerit, nusquam inveni; non tamen adducor, ut putem Ciceronem mentitum, praesertim quum adiiciat UT SCITIS. Sed videtur mihi loqui de eo die, quo coss. Domitio et Messala inter candidatorum Hypsaei et Milonis manus in via Sacra pugnatum est, multique ex Milonis ex improviso ceciderunt. De cuius [diei] caede et periculo suo ut putem loqui eum, facit et locus pugnae — nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia⁴) —, et quod adsidue simul erant cum candidatis suffragatores, Milonis Cicero, Hypsaei Clodius⁵)*. — Ad eosdem tumultus pertinere videtur, quod M. Antonius (qui postea triumvir factus est) Clodium in

¹) ASCON. Argum. Mil. p. 31 sq.; cfr. CIC. Milon. 13, 34; 15, 41; 21, 56.

²) DIO CASS. XL, 46. Cfr. CICER. Fragm. de Aer. al. Milon. II, 3: *Lapidibus duo consules ceciderunt; ad quem locum in SCHOL. BOB. p. 343 legitur hos consules esse Cn. Domitium Calvinum et M. Valerium Messalam. Nec alia fuit caussa, cur senatus convocaretur, quam illa praeципua, quod P. Clodius immissa seditiosorum manu comilia turbaverat, quae habebantur de consulibus creandis, quum esset etiam Milo candidatus. Cfr. SCHOL. BOB. Argum. Orat. de Aere alieno Milon. p. 341 sq.*

³) CICER. Milon. 14, 37; cfr. ibid. 7, 20, ubi se aliquoties *ex P. Clodii telis et ex cruentis eius manibus effugisse* dicit.

⁴) *Ancus Marcius* habitaverat in summa Sacra via, ubi aedes Larum est. SOLIN. Polyhist. c. I p. 2 F; cfr. FEST. v. *October equus* p. 111 et 186; PSEUDO-ASCON. ad Cic. Verr. Act. I, 7, 19.

⁵) ASCON ad Milon. 14, 37 p. 48.

foro paene occidisset, nisi se ille fugiens in scalas tabernae librariae coniecerisset¹).

Clodii autem magni intererat, ut praetor fieret; nam si Ciceroni fides habenda est, Clodius, si imperium nactus esset, quum multa alia facinora perpetrasset²), tum praetor leges rei publicae perniciosas promulgasset³). In his fuisse traditur lex de libertinorum suffragiis, de qua Asconius dicit *fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non nisi in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae propriae ingenuorum sunt, ferre*⁴). Num quid praeterea in hac lege fuerit, omnino obscurum est⁵).

Anno u. 702 = 52 mense Ianuario neque consules neque praetores erant⁶). Iam vero quum *Milo*, quoniam se *certissimum consulem* videbat⁷), *quam primum comitia*

¹) CICER. Milon. 15, 40; Philipp. II, 9, 21; II, 20, 49; cfr. DIO CASS. XLV, 40.

²) CICER. Mil. 28, 76; 32, 87; 33, 89 sq.

³) CICER. Milon. 12, 33; 33, 89.

⁴) ASCON. ad Milon. 32, 87; cfr. CIC. Milon. 32, 87; 33, 89; de Aere al. Milon. IV, 1. 2 et ibi SCHOL. BOB. p. 346. — Similem legem *C. Manilius* trib. pl. a u. 687 = 67 tulerat; vid. DIO CASS. XXXVI, 25; ASCON. ad Milon. 8, 22; ad Cornel. p. 64 et 65. Nam cur Baitero (ad Ascon. p 45 sq.) credamus, duas fuisse leges eiusdem argumenti, alteram *Maniliam*, alteram *Manliam* (vid. Ind. Legg. in Cicer. p. 217 et 219), nullam omnino caussam esse puto; nec vidit Baiterus verba Ciceronis de L. Domitio: *dederas enim, quam contemneres populares insanias, IAM AB ADOLESCENTIA documenta maxima* (Milon. 8, 22), de praetore, homine quadraginta minimum annorum, dici non potuisse.

⁵) Vid. Interpretes ad. Cic. II. cc.; BEIER. ad Cic. Oratt. Fragm. p. LXI sq. not., p. 131 sq., p. 280; I. B. F. BIERREGAARD de supplemento Peyroniano lacunae, quae est in c. XII orationis Ciceronis pro T. Annio Mitone. Hayniae 1830.

⁶) DIO CASS. XL, 46; ASCON. Argum. Milon. p. 32.

⁷) CICER. Milon. 9, 25; 35, 96.

confici, competitores eius trahere vellent, ideoque Pompeius, gener Scipionis¹⁾, et T. Munatius (Plancus Bursa) trib. pl. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui interregem proderent, non essent passi, quum interregem prodere moris esset: a. d. XIII Kal. Febr.²⁾ Milo Lanuvium, ex quo erat municipio et ibi tum dictator³⁾), profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam⁴⁾ Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae Deae sacculum est⁵⁾). Erat autem allocutus decuriones Aricinorum⁶⁾. Vehabatur Clodius equo⁷⁾). Servi XXX fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus unus, C. Cassinius Schola⁸⁾), duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius⁹⁾). Milo rheda

1) Pompeius enim paullo ante uxorem duxerat Corneliam, filiam Metelli Scipionis, viduam P. Crassi filii; vid. PLUTARCH. Pomp. 55; DIO CASS. XL, 51.

2) CIC. Milon. 10, 27. — Eodem die fuit insanissima contio, ab ipsis (Clodii) mercenario tribuno plebis concitata (CIC. Milon. 17, 45; cfr. 10, 27). Ad hunc locum ASCONIUS p. 49 notavit: *Hoc significat, eo die, quo Clodius occisus est, contionatum esse mercenarium eius tribunum plebis. Sunt autem contionati eo die, ut ex actis appareat, C. Sallustius et Q. Pompeius, utriusque et inimici Milonis et satis inquieti. Sed videtur milii Q. Pompeium significare; nam eius seditionis fuit contio.* Cfr. de hoc loco GARATON. ad Milon. 6, 14 p. 173 sq. ed. Orell.

3) De Milone eiusque dictatura Lanuvina dicam alio loco.

4) Cfr. QUINTILIAN. Inst. Or. VI, 3, 49.

5) Vid. supra p. 7.

6) Q. Metellus Scipio in senatu dixit Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abisse, proiectum cum sex ac viginti servis. ASCON. Argum. Milon. p. 36. Cfr. CIC. Milon. 19, 51.

7) Cfr. CIC. Milon. 10, 28; 21, 55.

8) Vid. supra p. 11.

9) Cfr. CIC. Milon. 17, 46.

vehebatur cum uxore *Fausta¹⁾* et *M. Fufio*, familiare suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen²⁾), inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, *Eudamus* et *Birria*. *Ii* in ultimo agmine tardius euntes cum servis *P. Clodii* rixam commiserunt. Ad quem tumultum quum respexisset *Clodius* minitabundus, humerum eius *Birria rhomphaea* traiecit. Inde quum orta esset pugna, plures *Miloniani* accurrerunt³⁾. *Clodius* vulneratus in tabernam proximam in *Bovillano* delatus est. *Milo* ut cognovit vulneratum *Clodium*, quum sibi periculiosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset

¹⁾ Cfr. CIC. Milon. 10, 28; 20, 54.

²⁾ Q. Metellus Scipio in senatu dixit Milonem cum servis amplius trecentis armatis obviam Clodio contendisse. ASCON. Argum. Milon. p. 36. Cfr. CIC. Mil. 21, 55.

³⁾ Cfr. CIC. Milon. c. 10. 20. 21. — Quamquam hacc rixa forte commissa fuerat (cfr. QUINTILIAN. VI, 5, 10), tamen notum erat utrumque mortem alteri saepe minatum esse (ASCON. p. 42). Iam a. 697 = 57 Cicero ad Atticum scripserset (IV, 3, 5): *Reum Publum, nisi ante occisus erit, fore a Milone puto. Si se in turba obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video. Non dubitat facere; prae se fert; casum illum nostrum non extimescit.* Clodius autem palam dictitabat consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse, et M. Favonio dixerat Milonem triduo aut summum quatriduo peritulum (CICER. Milon. 9, 26; 16, 44; 19, 52). Fuerunt, qui Clodii caudem Ciceronis consilio factam esse contenderent, quibus ita respondit, ut rem prius transactam esse dicebat, quam quisquam Milonem facturum id suspicaretur (CICER. Milon. 18, 47; Philipp. II, 9, 21; II, 20, 49). Fuisse autem hoc crimen a Q. Pompeo Rufe et C. Sallustio tribunis plebis in Ciceronem conjectum, quum legem Pompei in contione suaderent, ASCONIUS testatur ad Milon. 18, 47. — Sed quanti Cicero caudem Clodii fecerit, inde appareat, quod ex ea novam quasi aeram incepit; scribit enim a. 703 = 51 ad Atticum (V, 13, 1): *Ephesum venimus a. d. XI Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam;* et a. 704 = 50 (Attic. VI, 1, 26): *Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto.*

poena, exturbari taberna iussit. Fuit antesignanus servorum eius M. Fustenus¹). Atque ita Clodius latens extractus est multisque vulneribus confectus. Cadaver eius in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant aut graviter sauciū latebant, Sex. Tediū senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit et lectica sua Romam ferri iussit; ipse rursus eodem, unde erat egressus, se recepit. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam, infimaeque plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quae cum effusa lamentatione vulnera eius ostendebat. Maior postera die luce prima multitudo eiusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus senator²). Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio; eodem T. Munatius Plancus, frater L. Planci oratoris, et Q. Pompeius Rufus, Syllae dictatoris ex filia nepos, tribuni plebis, accucurrerunt; eisque adstantibus vulgus imperitum corpus nudum, calcatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit et in rostris posuit. Ibi pro contione Plancus et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam

¹⁾ *Fusteni nomen corruptum esse videtur; nam alio loco Asconii (p. 54 sq.) M. Saufeius M. F. dux fuisse dicitur in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo. Hic post Milonem eadem lege Pompeia accusatus est; sed qui eum defendebant, M. Cicero et M. Caelius, obtinuerunt, ut una sententia absolveretur; manifestumque odium Clodii saluti Saufio fuit, quem eius vel peior caussa quam Milonis fuisset, quod aperte dux fuerat expugnandae tabernae. Repeccitus deinde post paucos dies apud Considium quaestorem est lege Plautia de vi, sed a Cicerone et M. Terentio Varrone Gibba defensus absolutus est sententiis plenius quam prius.* **ASCON.** ad Milon. p. 54 sq.

²⁾ *Si hoc nomen ex CIC. Milon. 14, 37 sumpsit Asconius, errasse videtur; nam, nisi fallor, ibi aliquid a Cicerone commemoratur, quod a. 696 = 58 factum est.*

Miloni fecerunt¹⁾. Populus duce Sex. Clodio scriba corpus P. Clodii in curiam intulit cremavitque subselliis et tribunibus et mensis et codicibus librariorum²⁾. Quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia basilica, quae erat ei iuncta, ambusta est³⁾. Domus quoque M. Lepidi interregis⁴⁾ — is enim magistratus curulis erat creatus — et absentis Milo-

¹⁾ *T. Munatius Plancus et Q. Pompeius Rufus, tribuni plebis, confectionati sunt eo ipso tempore plebemque in Milonem accenderunt, quo propter Clodii corpus curia incensa est; nec prius destiterunt, quam flamma eius incendii fugati sunt e contione. Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope iuncta curiae. Ob hoc T. Munatium ambustum tribunum appellat (CICER. Milon. 5, 12); fuit autem paratus ad dicendum. ASCON. ad Milon. 5, 12. Quod autem de Rostris scribit, observandum est vetera Rostra in medio fere foro fuisse (DIO CASS. XLIII, 49); sed a Julio Caesare nova Rostra in alia fori parte posita sunt ante aedem Divi Iulii (DIO CASS. I. c. et LVI, 34; SUETON. Aug. 100 et ibi Intt.).*

²⁾ Cfr. CICER. Milon. 13, 33; 32, 86; 33, 90 sq.

³⁾ *Munatius Plancus postea, quod curiam incendisset, condemnatus in exsilium abiit, sed belli civilis tempore Romam revertit. Vid. CICER. ad Fam. VII, 2, 2—3; Philipp. VI, 4, 10; XIII, 12, 27; DIO CASS. XL, 55; PLUTARCH. Pomp. 55; Cat. Min. 48; cfr. BEIER. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 223.*

⁴⁾ *Post biduum medium, quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Aemilius Lepidus. Non fuit autem moris ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. Sed Scipionis et Hypsaei factiones, quia recens invidia Milonis erat, quum contra ius postularent, ut interrex ad comitia consulum creandorum descendaret, idque ipse non faceret, domum eius per omnes interregni dies (fuerunt autem ex more quinque) obsederunt. Deinde omni vi ianua expugnata et imagines maiorum deiecerunt et lectulum adversum uxoris eius Corneliae, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt; postque supervenit Milonis manus et ipsa postulans comitia; cuius adventus fuit saluti Lepido; in se enim ipsae conversae sunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est. ASCON. ad Milon. 5, 14; cfr. ad eund. loc. SCHOL. BOB. p. 281.*

nis eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit, deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libilitinae raptos adtulit ad domum Scipionis et Hypsaei, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo consulem, modo dictatorem¹).

Hic vitae exitus P. Cludio fuit, quo nemo perniciosior rei publicae neque bonis inimicior vixerat²). Aliud de moribus eius testimonium eiusdem Velleii initio huius libelli adtuli³). Cum his aliorum iudicia consentiunt, ut Plutarchi: ἦν Κλωδίος ἀνὴρ εὐγενής, τῷ φρονήματι θρασὺς καὶ ἀνθάδης⁴); et Πόπλιος Κλωδίος ἦν ἀνὴρ γένει μὲν εὐπατρίδης καὶ πλούτῳ καὶ λόγῳ λαμπρός, ὕβρει δὲ καὶ θρασύτητι τῶν ἐπὶ βδελυρίᾳ περιβοήτων οὐδενὸς δεύτερος⁵). Item Asconii, qui eum adolescentem perditum appellat⁶). Nam Ciceronis, inimicissimi hominis, testimonio fortasse non nimis confidendum est, apud quem quum alia legimus tum haec: *Uno in homine, Q. Fusi, fateor te vidisse plus quam me. Ego P. Clodium arbitrabar perniciosum civem, sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum; tu contra sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum civem*

¹⁾ ASCON. Argum. Milon. p. 32 sqq.; cfr. ibid. p. 36. 38. 41; LIVII Epit. CVII; VELL. PATERC. II, 47, 4; APPIAN. Bell. Civ. II, 20—21; DIO CASS. XL, 48. 49.

²⁾ VELL. PATERC. II, 47, 5.

³⁾ Pag. 3. — Cfr. GELL. Noct. Attic. II, 7: *Si imperet (pater filio) uxorem ducere infamem, propudosam, criminosa, aut pro reo Catilina aliquo aut Tubulo aut P. Clodio caussam dicere, non scilicet parendum, quoniam accidente aliquo turpitudinis numero desinunt esse per se haec media atque indifferentia. — De L. Tubulo, quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus, vid. CICER. Scaur. I, 5 et ibi ASCON. p. 23.*

⁴⁾ PLUTARCH. Cicer. 28.

⁵⁾ PLUTARCH. Caes. 9.

⁶⁾ ASCON. ad Cic. Cornel. p. 66.

et optandum; in hoc uno te plurimum vidisse, me multum errasse concedo¹). Idem alio loco haec dicit: *Mihi res erat.... cum scurrarum locupletium scorto, cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote, cum benefico, cum testamentario, cum sicario, cum latrone²).* His unum locum adiiciam: *Quaero ex te.... appellarisne nominatim pestem illius anni, furiam patriae, tempestatem rei publicae, Clodium³).* Multo minus personati Ciceronis conviciis fides habenda est, qui eum *patricidam, fratricidam, sororicidam appellat⁴).*

Fuit autem Clodius *illiberali figura⁵).* Huc pertinet iocus Ciceronis: *Sed, credo, postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti⁶); item Surgit pulchellus puer⁷).* Fortasse etiam hoc: *Non pudet? sed quid pudeat hominem non modo sine rubore, verum omnino sine ore?⁸).* Idem Cicero alio loco gravius: *Nemo illum foedum vultum (Clodii) adspicere, nemo furiale vocem bonus audire poterat⁹).*

Possessiones Clodii erant in Etruria ad viam Aureliam¹⁰).

¹⁾ CICER. Philipp. VIII, 5, 16.

²⁾ CICER. Sest. 17, 39.

³⁾ CICER. Vatin. 14, 33; cfr. Sest. 7, 15 16; Pis. 4, 9; 9, 21; Milon. 12, 32; 16, 43; 27, 73. 74; 29, 78; 31, 85; Paradox. IV; de Legg. III, 9, 21 sq.

⁴⁾ Orat. pro Domo 10, 26; cfr. ibid. 18, 47; 19, 50; 27, 72; 48, 126; 53, 137; 54, 139; Harusp. Resp. 3, 4; 18, 39; 20, 42; 26, 55; 26, 57—27, 59.

⁵⁾ SCHOL. BOB. ad Cic. in Clod. et Cur. V, 4 p. 337 et ad Orat. de Aere al. Milon. II, 6 p. 344.

⁶⁾ CICER. in Clod. et Cur. V, 4.

⁷⁾ CICER. ad Att. I, 16, 10; cfr. ad Att. II, 22, 1.

⁸⁾ CICER. de Aere al. Milon. II, 6.

⁹⁾ CICER. Sest. 50, 106.

¹⁰⁾ CICER. Phil. XII, 9, 23.

Ibi servos agrestes alebat, quibus ad vim faciendam uteretur. Huc pertinent eius *castra Etrusca*¹⁾; item haec: *Servos agrestes et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat Etruriamque vexaratur, ex Apennino deduxerat, quos videbatis*²⁾; et haec: *Eosdem ad caedem civium de Apennino deduxisti*³⁾. Eodem haec referenda videntur: (*Clodius*), *qui non calumnia litium, non iniustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat; qui non solum Etruscos (eos enim penitus contempserat), sed hunc P. Varium, fortissimum atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus armis castrisque conatus est; qui cum architectis et decempedis villas multorum hortosque peragrabat; qui Ianiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum; qui quum ab equite Romano splendido et forti, M. Paconio, non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio⁴⁾ venderet, repente lintribus in eam insulam materiem, calcem, caementa, arma convexit, dominoque trans ripam inspectante non dubitavit aedificium exstruere in alieno*⁵⁾.

¹⁾ CICER. Milon. 21, 55.

²⁾ CICER. Milon. 9, 26.

³⁾ CICER. de Aere al. Milon. II, 2. — Similia ab aliis facta esse appetat ex Ciceronis epistola ad Q. Fratr. II, 3, 4: *Itaque se comparat (Pompeius), homines ex agris arcessit. Operas autem suas Clodius confirmat. Manus ad Quirinalia paratur; in eo multo sumus superiores ipsius copiis. Sed magna manus ex Piceno et Gallia expectatur, ut etiam Catonis rogationibus de Milone et Lentulo resistamus. Scripta haec sunt a. 698 = 56. — Ceterum de vi hominibus coactis armatis vid. CICER. pro M. Tullio § 7 sqq. et ibi Intt. et § 18 sq.*

⁴⁾ Hic lacus in Etruria fuisse videtur; vid. ANTONINI Itinerar. p. 292 et ibi Wessel.; PLIN. H. N. III c. 5 s. 8 § 51.

⁵⁾ CICER. Milon. 27, 74. — Verba Ciceroniana, quae haec proxime sequuntur, quum facinora quaedam Clodiana commemorent, adferenda putavi, quamquam quo pertineant non constat: *Qui huic T. Furfanio,*

Domum Clodius habuit in Palatio contiguam Ciceronis domo¹⁾; eodemque loco domum habebat soror eius Clodia quadrangularia²⁾, de qua dicam paullo infra. Itaque hue pertinent verba Ciceronis de Clodio: *qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et lamine³⁾*). — Sed etiam aliam domum in Palatio paucis ante mortem mensibus de M. Scauro⁴⁾ emerat⁵⁾ idque, ut videatur, sestertium centies et quadragies octies (= 544670 Spec.), quod Plinius non secus ac regum insaniam miratur⁶⁾). Habuit etiam *Albanum* aliquod, in cuius vicinia interfectus est; hoc *Albanum*, quod viam Appiam inter Bovillas et Ariciam tangebat, edito atque excuso loco positum erat⁷⁾; est enim ab Aricia ad Bovillas in conspectu mons *Albanus*, per colles ac tumulos iter est⁸⁾). — Quod autem

cui viro? dii immortales! — quid enim ego de muliercula Scantia, quid de adolescente Aponio dicam? quorum utriusque mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset; — sed ausus est Furfano dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum; qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit (Milon. 27, 75). — De Aponio cfr. BEIER. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 224. — De Etruria a Clodio vastata cfr. CICER. Milon. 19, 50; 32, 87; 35, 98.

¹⁾ Orat. Harusp. Resp. 15, 33; cfr. CIC. Cael. 7, 17. 18. De Ciceronis domo vid. BEIER. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 84.

²⁾ Vid. CIC. Cael. 8, 18; 15, 36; 16, 38.

³⁾ CICER. Milon. 27, 75.

⁴⁾ Cfr. CICER. Off. I, 39, 138; ASCON. ad Cic. Scaur. § 45. i. p. 27 Orell.; MAII Praef. Alter. p. XXXVII sq. ed. Beieri.

⁵⁾ ASCON. Argum. Milon. p. 33.

⁶⁾ PLIN. Hist. Nat. XXXVI c. 15 s. 24 § 103.

⁷⁾ CICER. Milon. 10, 29; 17, 46; 18, 48; 19, 51; 20, 53; 31, 85.

⁸⁾ GARATON. ad Milon. 31, 85 p. 294 ed. Orell.

plurimis eorum Romanorum, qui illa aetate inclarerunt, accidit, idem Clodio usu venit, ut adolescens certe *magnō aere alieno* gravatus esset¹⁾; sed fieri potest, ut non minus quam P. Vatinius²⁾ in *magistratibus ex mendicitate emerserit et ex pauperrimo dives factus sit.*

Uxor Clodii³⁾ *Fulvia* fuit, filia Semproniae, neptis Tuditani⁴⁾, *nihil muliebre praeter corpus gerens*⁵⁾, οὐ ταλασίαν οὐδ' οἰκουρίαν φρονοῦν γύναιον οὐδ' ἀνδρὸς ἐδιώτου κρατεῖν ἀξιοῦν, ἀλλ' ἄρχοντος ἄρχειν καὶ στρατηγοῦντος στρατηγεῖν βουλόμενον⁶⁾. Pater eius fuit M. Fulvius Bambalio, *homo nullo numero*⁷⁾. Ex Clodio filiam suscepérat⁸⁾ *Claudiam*, quam vix dum nubilem Octavianus Caesar adolescens uxorem duxit, sed simultate cum soeru exorta dimisit intactam ad-

1) CICER. Orat. in Clod. et Curion. II, 2—6; III, 4; et ad eos locos SCHOL. BOB. p. 332 et 333. Habita est hacc oratio a. 693 = 61.

2) CICER. Vatin. 9, 23; 12, 29.

3) Putatur Clodius ante Fulviā aliam uxorem habuisse *Pinariam*, cuius frater fuerit L. *Pinarius Natta*, privignus L. Murenae, Pontifex; vid. Orat. pro Domo 45, 118; 52, 134; SERV. ad Virg. Aen. VIII, 269; CICER. Muren. 35, 73; ad Attic. IV, 8. b, 3; PERIZON. Animadv. Histor. Cap. V p. 207 ed. Harles.; WOLF ad Pseudo-Cicer. Oratt. IV p. 267 sq., 283, 325. Sed satis incerta res est.

4) ASCON. Argum. Milon p. 41; CICER. Philipp. III, 6, 16.

5) VELL. PATERC. II, 74, 3.

6) PLUTARCH. Anton. 10; cfr. FLOR. IV, 5, 2; DIO CASS. XLVIII, 10. — Fulviā alteram buccam inflatiōrem fuisse legimus apud SUETON. de claris Rhetorr. 5.

7) CICER. Philipp. III, 6, 16 coll. II, 36, 90; DIO CASS. XLV, 47; XLVI, 7. 28.

8) Superstes P. Clodio etiam filius fuit *P. Clodius*; vid. ANTONII Epist. ad Cicer. in Ep. ad Attic. XIV, 13, A, 2. 3 et CICER. Epist. ad Anton. ibid. B, 4. 5; cfr. Philipp. XII, 9, 23. Sed hic utrum ex Fulviā an ex alia muliere natus sit, nescio.

huc et virginem¹). Post Clodii mortem Fulvia *C. Curioni* nupsit eoque defuncto *M. Antonio* triumviro²); qui quum hostis iudicatus esset, inimici eius Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant; sed in hac calamitate a *T. Pomponio Attico* sustentata est³). Postea restituto marito magna eius potentia fuit⁴). Interfecti vero Ciceronis caput abscissum quum Romam adlatum esset (a. 711 = 43), Fulvia id genibus suis impositum conspuisse linguamque extractam acubus compunxisse traditur⁵). — Anno 713 = 41 Fulvia Octaviano infesta⁶) cum *L. Antonio*, triumviri fratre, qui eo anno consul erat, illi agros veteranis dividenti adversatur bellumque concitat Perusinum⁷). Sed quum *L. Antonius Octavianus* se dedisset, Fulvia cum liberis suis⁸) Puteolos, inde Brundusium profugit; ubi quum naves reperisset, Italia relicta ad maritum profecta est. Sicyone in morbum incidit, quo paullo post consumpta est⁹).

¹) SUETON. Aug. 62; DIO CASS. XLVI, 56; XLVIII, 5; PLUTARCH. Anton. 20.

²) CICER. Philipp. II, 11; II, 44, 113; cfr. II, 31, 77; Attic. XIV, 12, I.

³) CORN. NEP. Attic. 9; cfr. APPIAN. Bell. Civ. III, 51.

⁴) DIO CASS. XLVII, 8; APPIAN. Bell. Civ. IV, 29. 32.

⁵) DIO CASS. XLVII, 8.

⁶) Vid. AUGUSTI Epigr. ap. Martial. XI, 20, 3 sqq.

⁷) LIVII Epit. CXXV et CXXVI; VELL. PATERC. II, 74; FLOR. IV, 5; OROS. VI, 18 p. 432; APPIAN. Bell. Civ. V, 14—49. 54; DIO CASS. XLVIII, 4—15; PLUTARCH. Anton. 28. 30; SUETON. Aug. 14. 15.

⁸) Ex Antonio Fulvia duo filios suscepérat; vid. SUETON. Aug. 17; PLUTARCH. Anton. 87; cfr. LIPS. ad Taciti Annal. I, 10.

⁹) APPIAN. Bell. Civ. V, 50. 55. 59; DIO CASS. XLVIII, 15. 22. 27. 28; PLUTARCH. Anton. 30; cfr. LIVII Epit. CXXVII.

Tres fuerunt Cledio sorores, cum quibus omnibus stuprum fecisse putabatur, quemadmodum apud Ciceronem legimus: illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam quam tres sorores, impunitatem est assecutus¹⁾.

Harum natu maxima, ut videtur, *Tertia*²⁾ nupserat Q. Marcio Regi, qui a. u. 686 = 68 consul fuit³⁾. Hic Rex iam a. 693 = 61 mortuus erat nulla in testamento suo Clodii mentione facta⁴⁾.

Alteram *Clodium* uxorem habuit Q. Caecilius Metellus Celer, qui a. 694 = 60 consul fuit⁵⁾. Metellus a. 698 = 56 mortuus est, veneno ut videtur extinctus⁶⁾. *Clodium* veteres litterae tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et immoderatius quam matronam deceret; hoc enim significatur isto verbo, quo ait⁷⁾ OMNIA SORORIS EMBOLIA NOVIT, quoniam pertinent ad gestus saltatorios⁸⁾. Hanc omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt⁹⁾. Vocabatur *quadrantaria*, quod quidam ex amatribus eius quadrantes s. minutos numos aereos in crume-

1) CICER. Fam. I, 9, 15; PLUTARCH. Cic. 29; cfr. CIC. Sest. 7, 16; Orat. Harusp. Resp. 5, 9; 20, 42; 27, 59; VELL. PATERC. II, 45, 1; PERIZON. Animadv. Histor. Cap. III p. 107 sqq.

2) De nomine *Tertia* vid. HEINRICH. ad Ascon. Argum. Scaur. p. 125 sq. ed. Beieri.

3) PLUTARCH. Cic. 29; DIO CASS. XXXV, 15. 17.

4) CICER. Attic. I, 16, 10; cfr. BEIER. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 83.

5) CICER. Attic. II, 1, 5; Cael. 14, 34; PLUTARCH. Cic. 29.

6) CICER. Cael. 24, 59 sq.

7) CICER. Sest. 54, 116.

8) SCHOL. BOB. ad Sest. I. c. p. 304.

9) CICER. Cael. 13, 32; cfr. ibid. 13, 31; 16, 38; 20, 49 sq.

nam impositos ei pro argento miserat¹⁾). Ciceroni nubere voluisse et per Tullum quendam cum eo de matrimonio egisse dicitur, qua re Terentiae uxoris Ciceronis odium excitavit²⁾). Quoniam domum in Palatio habebat³⁾, a Cicerone vocatur *Medea Palatina*⁴⁾). Ex ea maxime infamis Clodius fuit⁵⁾). Hinc iocus ille Ciceronis: *Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro, fratre volui dicere; semper hic erro*⁶⁾). Idem alio loco Clodium ita adloquitur: *Sumam minimum fratrem tuum, qui est in isto genere urbanissimus, qui te amat plurimum, qui propter nescio quam, credo, timiditatem et nocturnos quosdam inanes metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit*⁷⁾). Eadem de caussa a Cicerone βοῶπις appellatur⁸⁾), quoniam βοῶπις πότνια Ήρη Iovis et soror et coniux fuit⁹⁾). — Si Apuleio¹⁰⁾ fides habenda est, C. Catullus Lesbiam pro Clodia nominavit; quod tamen num ad hanc Clodium referendum sit non constat.

¹⁾ PLUTARCH. Cicer. 29; cfr. CICER. Cael. 26, 62; 30, 71 cum not. Garaton.; QUINTILIAN. Inst. Or. VIII, 6, 53.

²⁾ PLUTARCH. Cicer. 29.

³⁾ Vide supra p. 41.

⁴⁾ CICER. Cael. 8, 18. De hac muliere vid. eandem orationem cap. 13—15; 20—21; 23; 29, 68. 69; 30, 71; 31, 75.

⁵⁾ PLUTARCH. Cicer. 29; CICER. Q. Fratr. II, 3, 2; SCHOL. BOB. ad Cic. Or. in Clod. et Cur. VI, 3 p. 339.

⁶⁾ CIC. Cael. 13, 32.

⁷⁾ CICER. Cael. 15, 36; cfr. ibid. 32, 78; Pison. 12, 28; Orat. pro Domo 10, 25; 31, 83; Harusp. Resp. 18, 38. 39.

⁸⁾ CICER. Att. II, 9, 1; 12, 2; 14, 1; 22, 5; 23, 3.

⁹⁾ Cfr. Orat. pro Domo 34, 92.

¹⁰⁾ APUL. de Magia p. 12 ed. Bip.

Soror Clodii natu minima *Clodia minor* appellata fuisse videtur¹⁾; eam duxerat L. Licinius Lucullus, qui a. u. 680 = 74 consul fuit et cum Mithridate bellum gessit²⁾. Hic in iudicio de violatis Bonae Deae sacris *iuratus dixit se quaestionibus de ancillis habitis comperisse*, *Clodium cum sorore germana nefarium stuprum fecisse*³⁾; uxorem vero, ut par erat, repudiaverat⁴⁾.

¹⁾ PLUTARCH. Lucull. 38.

²⁾ PLUTARCH. Lucull. 21, 34; DIO CASS. XXXV, 14. — Nescio an ad L. Lucullum et hanc eius uxorem referendus sit locus CICER. Att. I, 18, 3 ext.

³⁾ CICER. Mil. 27, 73; PLUTARCH. Cicer. 29.

⁴⁾ PLUTARCH. Lucull. 38.

A d d e n d a.

Quum hoc opusculum, quod aestate anni 1834 scribi coeptum est, iam typographo traditum esset, Madvigius meus Havnia mihi misit volumen secundum libri *W. Drumanni*, qui inscribitur *Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung, oder Pompeius, Caesar, Cicero und ihre Zeitgenossen* (Königsberg 1835), in quo P. Clodii vita copiose enarratur pag. 199—370. Hunc librum mihi antea incognitum fuisse ne quis miretur, monendum est me haec Slaglosiae scribere ad paucitatem librorum redactum et novem fere annorum spatio, quos hic egi, perpaucos libros novos vidisse. Iam si maturius cognovissem P. Clodii vitam ab alio tractatam esse, haec aut non scripsissem aut aliter scripsissem; sed opusculum ad finem perductum inducere neque potui neque volui. Ne vero furtivis coloribus me ornasse viderer, in iis, quae scripta erant, nihil omnino mutare, sed hoc loco pauca addere constitui, ad quae scribenda Drumanni liber occasionem dedit.

Ad pag. 4. Mea de P. Cladio narratio ab a. 687=67 incipit; Drumannus autem tradit Clodium a. 684=70 a L. Lucullo ad Tigranem Armeniae regem missum esse postulatum, ut Mithridates, qui in Armeniam confugerat, Romanis dederetur¹⁾). Sed in hoc erravit vir doctissimus; ad Tigranem enim missus est "Αππιος Κλωδιος, αδελφος

¹⁾ DRUMANN p. 200 sq. et 367.

τῆς τότε Λουκούλλων συνοικούσης²⁾), nimis Appius Claudius Pulcher, frater P. Clodii maximus, qui a. 700=54 consul fuit. Hic a Plutarcho aliquoties "Αππιος appellatur³⁾; P. Clodium autem Plutarchus ad ann. 687=67 ita commemorat, ut eius tum primam mentionem sieri appareat⁴⁾). Eandem vero familiam et *Claudiam* et *Clodium* vocari nota res est⁵⁾.

Ad pag. 13. *L. Pisonem* ann. 694=60 a Clodio accusatum, sed absolutum esse Drumannus tradit⁶⁾. Haec res unius Valerii Maximi testimonio nititur, apud quem legimus: *Item L. Piso a P. Claudio Pulchro accusatus, quod graves et intolerabiles iniurias sociis intulisset, haud dubiae ruinae metum fortuito auxilio vitavit. Namque per id ipsum tempus, quo tristes de eo sententiae ferebantur, repentina vis nimbi incidit; quumque prostratus humi pedes iudicium oscularetur, os suum coeno replevit. Quod conspectum totam quaestionem a severitate ad clementiam et mansuetudinem transtulit, quia satis iam graves eum poenas sociis deditis arbitrati sunt huc deductum necessitatis, ut abiucere setam suppliciter aut attollere tam deformiter cogeretur⁷⁾*). Iam vero L. Piso putatur esse L. Calpurnius Piso Caesoninus, eos. a. 696=58; sed quum neque constet, quam provinciam Piso post praetoram administraverit⁸⁾, neque ulla huius accusationis mentio apud Ciceronem fiat, ne in Pisoniana quidem, ubi omnia convicia in Pisonem congerit,

²⁾ PLUTARCH. Lucull. 21 init.

³⁾ Ibid. c. 19 init., c. 21 (quater), c. 23, c. 29.

⁴⁾ Ibid. c. 34.

⁵⁾ BEIER ad Cic. Oratt. Fragm. p. 85; DRUMANN pag. 200.

⁶⁾ DRUMANN p. 222 coll. p. 64.

⁷⁾ VALER. MAX. VIII, 1, 6.

⁸⁾ DRUMANN p. 64.

